+ Kis

DE

IRONIA MENEXENI PLATONICI.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE III MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXXI

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

THEODORUS BERNDT

SILESIUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO

IO. MATTH. STAHL

GRATO ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Menexeno Platonico iam inde ab antiquis temporibus obtigit id quod Horatius dicit: laudatur ab his, culpatur ab illis. A Dionysio enim Halicarnassensi[1]) cum acerbe vituperatus esset, ei ab Hermogene[2]) palma eloquentiae panegyricae data est. Nostris autem temporibus dissensus virorum doctorum eo productus est, ut non iam de arte rhetorica, sed de origine disceptaretur. Fuerunt enim, qui dialogum a Platone omnino abiudicandum esse censerent.[3]) At hi omnes adversam habent unanimam scriptorum antiquorum, imprimis Aristotelis[4]) auctoritatem. Cuius cum testimonia manifestissima adhuc recto stent talo — omnia enim, quae critici illius fundamenti labefactandi causa attulerunt, probabilitate carent[5]) — §. 1.

---

[1]) De admiranda vi dicendi in Demosthene c. 23 sq. T. VI. p. 1027 sqq. Reiske. — [2]) *περὶ ἰδεῶν* B. p. 403, Spengel: *ὁ δὲ πανηγυρικῶν λόγων κάλλιστος — πάντως ἂν εἴη δήπου ὁ Πλατωνικός.* — [3]) Schleiermacher, Platons Werke 1809. II. Th. 3. Bd., qui dialogicam certe partem Platonis non esse censet. Ast, Platons Leben und Schriften 1816. Goettling, Aristotelis Polit. 1824, adn. in p. 328. Zeller, platon. Studien 1839. Suckow, die wissensch. u. künstler. Form dèr platon. Schriften in ihrer bisher verborgenen Eigenthümlichkeit dargestellt, 1855. Steinhart, Platons Werke übers. v. Mueller 1857, VI. Bd. Tuellmann, de Platonis qui vulgo fertur Menexeni consilio et origine, Diss. inaug. Gryphiae 1859. Ueberweg, Unterss. über die Echtheit u. Zeitfolge platonischer Schriften, 1860. Gutscher, Ist Platon d. Verfasser des Dialogs Menex. Progr. k. k. Gymn. Marburg 1864. Schaarschmidt, Sammlung der platon. Schriften, 1866. — [4]) Rhet. I c. 9 p. 36 Spengel: *ὥσπερ γὰρ ὁ Σωκράτης ἔλεγεν, οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν.* III. c. 14 p. 151: *ὃ γὰρ λέγει Σωκράτης ἐν τῷ ἐπιταφίῳ ἀληθές, ὅτι οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν, ἀλλ᾽ ἐν Λακεδαιμονίοις.* cf. Menex. 235 D. 236 A. — [5]) Schaarschmidtii, qui postremus Aristotelem temptavit, sententiam refutavit Blass, d. att. Bereds. II, 431 adn. cf. 142 adn. E ceteris criticis, qui Aristotelis testimonia in dubitationem vocaverunt, exempli gratia commemoramus hos: Olearius, sched. de scriptis Socratis contra Leon. Allatium in Epp. Socrat. et Socraticorum p. 401, Orelli, censet pro vocula *Σωκράτης* legendum esse *Ἰσοκράτης*. cf. Stallb. Praef. Tuellmann contendit „Aristotelem falsum esse". Gutscher p. 48 censet, Aristotelem, quamvis Menexenum eodem modo quo dialogos Platonicos laudaret, tamen non ignoravisse

Menexenus genuinus Platonis dialogus habendus est. Suo igitur iure altera pars interpretum [1]) non tam vellicando libello operam dedit, quam defendendo et explanando. At cum eidem in constituendo operis consilio parum sibi constitisse videantur neque satis perspexisse, qualis esset ironia dialogi, operae pretium est rem denuo tractare imprimisque in ironia enucleanda quantulum habemus virium fideliter consumere, praesertim cum nisi haec satis perspecta sit, sive Platonis est dialogus sive alius scriptoris, de eius sententia atque consilio iudicari nequeat.

Priusquam autem ad singulos dialogi locos recensendos transeamus, refellendae sunt duae sententiae, argumentis non satis confirmatae.

---

eum alius scriptoris esse. Qua de re meliore iure hunc in modum nobis videmur disputare: ipsum quidem Platonem Aristoteles dialogi scriptorem non nominavit, sed probabilitatem non habet illum alium quemquam pro eius auctore habuisse. Tria enim esse possunt: aut Platonem dialogi scriptorem novit aut alium aut neminem. Sed neque ignotum Aristoteli fuisse, quis eum composuisset, facile credas neque ignoti hominis verba eum laudavisse. Non magis veri est simile, id quod Gutscher opinatus est, Aristoteli alium dialogi scriptorem notum fuisse. Vix enim credi potest in librorum Platonicorum indicem Alexandrinum hunc dialogum venire potuisse, si Aristoteles ab alio quodam eum compositum esse cognitum habuisset. Atqui receptus est dialogus a Thrasyllo in tetralogias; quibus qui continerentur dialogi, eos omnes ab Aristophane Byzantio in suo Platonicorum scriptorum indice nominatos esse inde intellegitur, quod Diog. Laert. III 62, postquam quinque Aristophanis trilogias nominatim attulit, Platonis librorum enumerationi finem imponit verbis *τὰ δ' ἄλλα καθ' ἓν καὶ ἀτάκτως*, ubi *τὰ ἄλλα* vix alia scripta esse possunt quam reliqua, quae Thrasylli tetralogiis proxime antea allatis continentur. Receperunt quidem etiam scripta procul dubio subditicia in indices suos Aristophanes et Thrasyllus, velut Minoem et epistulas, sed facile perspicitur Alexandrinorum aetate falso pro libris Platonicis haberi non potuisse nisi eos, quos qui scripsissent cum traditum non esset, indiciis parum firmis confisi Platoni tribuerent. Aristoteli autem si alius Menexeni scriptor notus fuisset, eius rei memoriam Alexandrinorum aetate plane exstinctam fuisse non est cur credamus. — [1]) Gottleber, Platonis Menex. et Periclis Thucydidei oratio funebris 1782. Koeppen, Platons Menex. im Grundriss, 1790. Socher, über Platons Schriften 1820. Loers, Platonis Menex. 1824. Schoenborn, über das Verhältniss, in welchem Platons Menex. zu dem Epitaph. des Lysias steht. Progr. Guben 1830. Westermann, quaestionum Demosthenicarum partic. II. 1831. Krueger, histor. philol. Studien I, 1836. K. F. Hermann, Gesch. u. System

Dionysius enim censet, Platonem imitatum esse Thucydidem, [1]) §. 2.
aliique interpretes contendunt, Platonem adversari voluisse laudationi Periclis, quam imitando superare studuerit. [2]) Itaque non alienum videtur exponere, quae Menexeno communia sint cum epitaphio Thucydideo. Ac verborum quidem aliquam similitudinem exhibent loci qui sequuntur:

In exordio uterque utitur contrario verbis *λόγος* et *ἔργον* effecto, quale Thucydides in epitaphio quater decies adhibuit, si quattuor locos adnumerare licet, in quibus pro vocula *λόγος* posuit *ὁμολογεῖν*, *ἔπη*, *ἐλπίς*, *γνώμη*; Plato vero illo contrario ter utitur. Menex. 236 D *ἔργῳ μὲν ἡμῖν οἵδε ἔχουσι — λόγῳ δὲ τὸν λειπόμενον κόσμον ὅ τε νόμος προστάττει ἀποδοῦναι τοῖς ἀνδράσι καὶ χρή*. cf. Thuc. 2, 35: *οἱ μὲν πολλοὶ — ἐπαινοῦσι τὸν προσθέντα τῷ νόμῳ τὸν λόγον τόνδε — ἐμοὶ δ' ἀρκοῦν ἂν ἐδόκει εἶναι ἀγαθῶν ἔργῳ γενομένων ἔργῳ καὶ δηλοῦσθαι τὰς τιμὰς — ἐπειδὴ δὲ τοῖς πάλαι οὕτως ἐδοκιμάσθη — χρὴ καὶ ἐμὲ ἑπόμενον τῷ νόμῳ πειρᾶσθαι*. c. 46: *εἴρηται καὶ ἐμοὶ λόγῳ κατὰ τὸν νόμον — καὶ ἔργῳ οἱ θαπτόμενοι — κεκόσμηνται*. — Menex. 238 B: *πρέπει ἐν τῷ τοιῷδε*. cf. Thuc. 2, 36, 1: *πρέπον ἐν τῷ τοιῷδε*. — Menex. 238 C: *καλεῖ δὲ ὁ μὲν αὐτὴν δημοκρατίαν, ὁ δὲ ἄλλο — τὸ πλῆθος τάς τε ἀρχὰς δίδωσι καὶ τὸ κράτος τοῖς ἀεὶ δόξασιν ἀρίστοις εἶναι καὶ οὔτε ἀσθενείᾳ οὔτε πενίᾳ οὔτ' ἀγνωσίᾳ πατέρων ἀπελήλαται οὐδεὶς οὐδὲ τοῖς ἐναντίοις τετίμηται*. Thuc. 2, 37, 1: *καὶ ὄνομα μὲν — δημοκρατία κέκληται — κατὰ δὲ τὴν ἀξίωσιν ὡς ἕκαστος ἔν τῳ εὐδοκιμεῖ, οὐκ ἀπὸ μέρους — ἢ ἀπ' ἀρετῆς προτιμᾶται οὐδ' αὖ κατὰ πενίαν — ἀξιώματος ἀφανείᾳ κεκώλυται*. — Menex. 247 C: *πατέρας δὲ ἡμῶν, οἷς εἰσι, καὶ μητέρας ἀεὶ χρὴ παραμυθεῖσθαι — καὶ μὴ ξυνοδύρεσθαι*. cf. Thuc. 2, 44, 1: *τοὺς τῶνδε τοκέας, ὅσοι πάρεστε, οὐκ ὀλοφύρομαι μᾶλλον ἢ παραμυθήσο-*

---

der platon. Philos. 1839. Stallbaum, Platonis Menex. 1857. Blass, d. att. Bereds. 1874. II p. 430—441. — [1]) l. c.c. 23. T. VI p. 1027 Reiske: *κράτιστος δὴ πάντων τῶν πολιτικῶν λόγων ὁ Μενέξενος, ἐν ᾧ τὸν ἐπιτάφιον διεξέρχεται, ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ Θουκυδίδην παραμιμούμενος, ὡς δ' αὐτός φησιν, Ἀρχῖνον καὶ Δίωνα*. — [2]) Proclus in comment. ad Platonis Parmenidem IV, 22. Gottleber. Goell, Culturbilder aus Hellas u. Rom 1872, II, 394: ein ironisches Gegenstück zu der perikleischen Rede.

μαι. — Menex. 249 C: *ἀπολοφυράμενοι ἄπιτε.* Thuc. 46, 2: *ἀπολοφυράμενοι ἀποχωρεῖτε.*

Praeterea si alios operis Thucydidei locos comparare licet, similitudinem aliquam invenimus Menex. 238 C: *καλεῖ δὲ ὁ μὲν αὐτὴν δημοκρατίαν, ὁ δὲ ἄλλο — ἔστι δὲ τῇ ἀληθείᾳ μετ' εὐδοξίας πλήθους ἀριστοκρατία*, et Thuc. 2, 65, 9: *ἐγίγνετο λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.* Denique verbo *κάμπτω* uterque eodem sensu translaticio usus est, quam apud Thucydidem Blass denotat[1]): Menex. 245 A. Thuc. 3, 58, 1. Ceterum sub oculos cadit, paene omnibus quos Plato imitatus est locis antitheta inesse.

Hi fere sunt loci Menexeni, qui ad Thucydidem spectare videntur. Qui quamvis pauci sint et leniter tantum verba historici resonent, tamen ex iis cognosci potest, Platonem Thucydidis opus inspexisse eumque, ubi de Periclis oratione funebri et de reliquiis eius (*περιλείμματα* 236 B) significat, nullum nisi Thucydideum epitaphium in animo habuisse. Imitatio autem consulto per omnem orationem instituta illis flosculis probari non potest.

Immo sententia, consilium argumentique dispositio orationis Platonicae prorsus abhorret a Thucydidea. Laudem enim Plato, sicut Lysias, narrando peragit, qui est modus facilior, Thucydides autem describendo civitatis statu (*πολιτεία καὶ τρόποι*), quae est ratio longe difficillima. Et quamvis utraque oratio duas illas omnium epitaphiorum partes exhibeat, *ἔπαινον* et *παραίνεσιν*, tamen sententiae prioris partis earumque ordo in Menexeno longe alia sunt. Pericles enim in priore parte (c. 36—42) maioribus breviter laudatis, statim pergit ad summam i. e. ad describenda instituta et mores; deinde milites occisos depingendis animis et mentibus decore laudat. Qua ab dispositione Platonica, quam infra accuratius definiemus, plane diversa est. Etiam in altera parte, quamvis sententiae aliquam similitudinem exhibeant, ordinem a Thucydide usurpatum a Platone mutatum esse, facile intellegi potest. Denique partium descriptio, qualem Plato in exordio praemittit, in epitaphio Thucydideo invenitur nulla; nam verba quae legimus c. 36: *ἀπὸ δὲ οἵας τε ἐπιτηδεύσεως — ταῦτα δηλώσας πρῶτον εἶμι καὶ ἐπὶ*

1) I, 206.

τὸν τῶνδε ἔπαινον, non dispositionem totius orationis continent, sed prothesin secundi tantum et tertii loci prioris partis.

In universum autem Plato rem ita instituit, ut ea fusius exponeret, quae Thucydides aut silentio praeteriit aut obiter attigit, laudem terrae (εὐγένειαν, τροφήν), facta maiorum, curam civitatis, contra quae historicus latius persecutus est, in angustum contraheret, descriptionem morum, laudem militum qui sepelirentur, quae apud Platonem ei quae in altera parte est sermocinationi implicita est.

Quod num consulto fecerit philosophus, vix disceptari potest, quamquam in Menexeno reperiuntur loci, qui quendam adversandi animum sapere videntur. In exordio enim Pericles Thucydideus de munere sibi imposito caute et modeste loquitur (c. 35: μὴ ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ πολλῶν ἀρετὰς κινδινεύεσθαι εὖ τε καὶ χεῖρον εἰπόντι πιστευθῆναι), Plato vero confidenter rem aggreditur (233 E: ἔργων γὰρ εὖ πραχθέντων λόγῳ καλῶς ῥηθέντι μνήμη καὶ κόσμος τοῖς πράξασι γίγνεται) et cum iactantia profitetur se commemoraturum esse res a nullo unquam poëta digne tractatas (239 C). Idem quamvis in describenda civitatis disciplina eisdem fere ac Thucydides verbis utatur eiusque libertatem laudet, tamen sophistice eam aristocratiam appellat. Quodsi quis contendere velit, Pericli more Thucydidis, Antiphontis discipuli (236 A), contionanti per iocum opponi germanum Periclem, Aspasiae discipulum, quasi Thucydides non vere expresserit Olympii indolem, vel Platonem demonstrare voluisse, eisdem dicendi ornamentis, quae Thucydides nequaquam spernit, antithetis ceterisque artificiis Gorgieis copiosius adhibitis orationem posse componi, quae magis placeret gratiorque esset Thucydidea, primo obtutu satis verisimile videatur.

Tamen summa dialogi hac re contineri non potest. Nam Thucydidem perstringi probabile non est, cum in oratione ipsa certiora imitandi et adversandi indicia desint, reliquiaeque (περιλείμματα 236 B) quas supra vidimus orationis Thucydideae Aspasiae ipsi, quam Thucydidi Antiphontis discipulo oppositam esse critici contendunt, tribuantur, e ceteris autem scriptis Platonicis perspici non possit, cur eum petere voluerit. Praeterea ambigi potest, quis isto modo magis ironia petatur, Thucydidesne an Pericles, qui quidem Platoni videtur in Phaedro 269 E πάντων τελεώτατος εἰς τὴν ῥητορικὴν γεγονέναι.

Itaque haec omnia, quae ad Periclem orationemque Thucydideam spectant, rectius velamenta vel parerga existimabimus, quae ironiam non tam aperiant quam occultent. Hoc tantum iam nunc pro certo habebimus, Platonem Aspasia et Pericle commemoratis significare declamationem, quam ipse proferat, non ad modum recentiorum rhetorum, sed ad exemplar antiquioris eloquentiae esse compositam. Quae res si ita est, apparet gravem quem philosophus admisit anachronismum satis habere excusationis; bello enim Corinthio confecto tempora antiquiora manifestius significare non potuit quam eo, quod Socratem finxit ab Aspasia doceri.

§. 3. Maior vero argumenti tractationisque similitudo quam cum laudatione Thucydidea Menexeno est cum Lysiae qui fertur epitaphio. Itaque imprimis Schoenborn [1]) singulis utriusque orationis locis comparatis demonstrare studuit, Lysiam a Platone per iocosam imitationem esse vituperatum. Haec autem quaestio tunc demum aliquid momenti haberet, si exploratum esset illum epitaphium Lysiae esse. At cum dubitationes, quas viri docti [2]) de origine eius protulerunt, nuper a Blassio [3]) tam gravibus argumentis confirmatae sint, ut subditiciam haberi orationem necesse sit, facile intellegitur, ironiae a Lysia repetitae subtrahi fundamentum. Praeterea illa sententia accuratius recensita Krueger, Loers [4]), Blass suo iure negaverunt, certam rationem inter Platonis et Lysiae laudationes intercedere.

Quoniam de Lysia in Menexeno deriso actum est, dubitari potest, num omnino illo epitaphio Plato ad scribendum incitatus sit. Stallbaum [5]) enim et Blass [6]) censent Platonem, quod attineat ad argumentum, rationem vulgarium laudationum funebrium esse

---

[1]) l. c. In eandem fere sententiam disputaverunt Koeppen, Schleiermacher, Boeckh (Annal. Heidelberg. 1808), K. F. Hermann (de Socratis magistris 21 s.), Steinhart, Le Beau, Lysias' Epitaphios als echt erwiesen 1863. — [2]) Valckenaer (Hemsterhusii et Valcken. oratt. p. 218), F. A. Wolf (ad Leptin. p. 365), Sluiter (lectt. Andocid. p. 281), Hoelscher (de vita et scriptis Lysiae. Diss. Berol. 1837, p. 49), Meier (de Andocid. contra Alcibiad. III. p. 12), Scheibe, Sauppe (Götting. Gel.-Anz. 1864, p. 824 sq.). — [3]) I, 431 sqq. — [4]) Quae ratio inter Platonis Menexenum et Lysiae laudationem sive epitaphium intercedat disputatio. Progr. Trier 1846. — [5]) Praef. in Menex. 22. — [6]) II, 433. 435.

secutum, id quod Aspasia inducta significaverit; talium autem declamationum Lysianam unum esse specimen, quod nobis casu proditum sit, fierique potuisse, ut illius editio philosopho scribendi causam et opportunitatem afferret. At cavendum est, ne huic rei nimis momenti tribuamus. Mirum enim esset, si Plato in argumento aliam rationem secutus esset, aliam in genere dicendi; praeterea derisione totius gregis laudatorum vulgarium fieri non potest, quin ironia vaga et incerta fiat; et cum de illis nihil certius compertum habeamus nisi ex epitaphio Lysiano, periculum est, ne res ad Pseudo-Lysiam redeat. Melius autem res se haberet, si ad fontem et caput talium laudationum propius accedere possemus.

Ratione vero Lysiae habita interpretes videntur adducti esse, ut in recensendo Menexeno oculos plus iusto in Phaedrum Platonicum converterent. Quae res cum difficultates interpretationis non tam minuerit quam auxerit, nobis quidem alia via videtur ingrediendi esse. Quam ut indagemus, singuli partis dialogicae loci primum considerandi sunt.

I. De parte dialogica.

234 A *Μενέξενος*] Venerabundum quod Menexenus prae se fert obsequium ab interpretibus [1]) vehementissime vituperatum est: rempublicam enim capessere non vult, nisi Socrates permittat (234 B); declamationem a Socrate habitam sine ambagibus laudat aliasque eiusmodi orationes audire cupit (249 DE); de arte oratoria non interrogat. Contra quispiam dicat, Menexenum non tam stolidum esse, ut illi censeant, ex eo elucere, quod iocum Socratis ita perspiciat, ut orationem Aspasiae esse minime credat (236 C. 249 E). At omnino eiusmodi defensione non eget. Nam nemo non videt, Socratem rhetoris partes suscepisse, e discipulo rhetoris (Aspasiae) magistrum esse factum, artem modo acceptam alii tradere. Ita etiam Menexenus partes agere videtur; eodem enim quo Socrates gloriatur obsequio specimen ab eo praebitum accipit et laudat. Itaque Krueger [2]) veri aliquid vidit, cum censuit in moribus Menexeni aliquam inesse urbanitatem, qua disputationem laudando §. 4.

[1]) Ast p. 449. Schleierm. 370. Steinhart 377. — [2]) p. 244, cf. Loers, Progr. p. 16.

recusaret. Ista eadem est urbanitas, qua Callicles de declamatione (ἐπίδειξις), quam scriptor fingit a Gorgia modo habitam esse, haec dicit Gorg. 447 A: *καὶ μάλα γε ἀστείας ἑορτῆς· πολλὰ γὰρ καὶ καλὰ Γοργίας — ἐπεδείξατο.* Sicut enim illo loco viri scholae Gorgieae addicti de magistri oratione nil nisi laudem proferunt neque venia interrogandi videntur usi esse, ita etiam Menexenus verba praeceptoris reverentia et laudibus prosequitur et audiendo contentus est. Eodem igitur consilio, quo Plato Socratem fingit in ediscendo sudantem et in verba magistri iurantem, Menexenum hac in re eius similem videtur fecisse. Nam quasi discipulum eum arte rhetorica imbuendum inducit ac significare simul videtur, tale obsequium rhetorum discipuli esse proprium, cuius sit audire et ediscere. Cum autem Menexenus eodem magistro utatur et philosophiae et rhetoricae, non est mirum, quod, nisi Socrates permittat, non vult rempublicam capessere i. e. ad rhetoricam se convertere; nam ea sola testimonio omnium eius qui in Gorgia sunt assectatorum ars et usus reipublicae gubernandae continetur, cumque eum, qui illi se tradat, Callicle teste philosophia se abdicare necesse sit, nemo nisi magister, qui utramque docet, definire potest, quo tempore illud fiat.

Praeterea Plato vituperatur, quod hoc loco Menexenum tam timido ingenio instruxerit, in Lyside autem (211 B) eum *ἐριστικὸν* et *δεινὸν* appellaverit. At etiam Polus, qui est in Gorgia, quamvis satis *ἐριστικὸν* se exhibeat, tamen erga magistrum tam submisse se gerit, ut eum sententiis secum pugnantibus impeditum defendere conetur (461 B sp.) neque aegre ferat, se ab illo non ita leniter submoveri (448 D. 463 E *τοῦτον ἔα*). Ita Menexenus, quamquam in Lyside, quo in dialogo Ctesippi discipulus nuncupatur et cum amico adversarii partes sustinet, rixarum cupidus appellatur, tamen, ubi discipulus Socratis factus est, eandem quam Polus erga magistrum reverentiam prae se fert. Quin etiam in cogitationem cadere possit, Platonem rem consulto ita instituisse, ut mores Menexeni pueri quondam litigiosi disciplina viderentur emolliti esse.

§. 5. 234 A *παιδεύσεως καὶ φιλοσοφίας ἐπὶ τέλει ἡγεῖ εἶναι καὶ ὡς ἱκανῶς ἤδη ἔχων ἐπὶ τὰ μείζω ἐπινοεῖς τρέπεσθαι*]. Cf. Gorg. 484 C (*Καλλ.*) *ἂν ἐπὶ τὰ μείζω ἔλθῃς, ἐάσας ἤδη φιλοσοφίαν.* Non inconsulte Socrates ad similitudinem dicti Calliclei videtur

locutus esse. Nam cum curia vix commemorata eisdem fere verbis, quibus Callicles, philosophiam et munera publica ita opponat, ut illa se abdicet, qui ad haec se convertat, legentes in cogitationem incidant necesse est, eum ad Calliclis sententiam quondam vehementissime impugnatam descendisse. Callicles enim, qui in dialogo cum Gorgia facit eiusque praecepta constanter persequitur, contendit (484 C—486 D) puero tantum esse decorum et utile philosophari, viro autem turpe et noxium; propterea Socrates ei in memoriam revocat, ei puero cum sodalibus visum esse, *μὴ προθυμεῖσθαι εἰς τὴν ἀκρίβειαν φιλοσοφεῖν* (487 C), quamquam ad eum conversus dixerat: *πεπαίδευσαι ἱκανῶς, ὡς πολλοὶ ἂν φήσαιεν Ἀθηναίων* (487 B). Itaque cum eo de quo agitur loco cum admiratione de Menexeno quaerat, nihil obstat, quominus cogitemus, eum admodum iuvenem esse [1]) et adhuc philosophiae eodem quo Calliclem modo *ὡς ἱκανῶς* studuisse.

Socrates autem non satis habet ludere verbis Calliclis, sed cum infra orationem depromat, quae 249 E *λόγος πολιτικὸς* appellatur, etiam consilium ab illo datum (Gorg. 485 E. 486 A—D. 521 B) videtur secutus esse, ut ei arti vacaret, quam ipse Callicles concesserat esse assentationem (*κολακείαν* 521 B). Hanc vero, id quod infra videbimus, ita exercet in oratione, ut non solum suae ipsius sententiae, quam de vera rhetorica profert Gorg. 521 A: *διαμάχεσθαι Ἀθηναίοις, ὅπως ὡς βέλτιστοι ἔσονται,* D *οὐ πρὸς χάριν λέγων, ἀλλὰ πρὸς τὸ βέλτιστον;* 527 C *καὶ πᾶσαν κολακείαν καὶ τὴν περὶ ἑαυτὸν καὶ τὴν περὶ τοὺς ἄλλους καὶ περὶ ὀλίγους καὶ περὶ πολλοὺς φευκτέον*, oblitus esse videatur, sed etiam Callicli obtemperans philosophia, cui in Gorgia se semper deditum fore dixit [2]), omnino se abdicavisse, quamquam eam in Phaedro (278 C s) nominatim oratoribus commendat et in Pericle (270 A) et Isocrate (279 B) laudat. Omnes enim viri docti consentiunt, sententias philosophicas proprie dictas orationi, imprimis alteri eius parti deesse [3]). Immo philosophus declamationi inseruit sententias pugnantes cum

---

[1]) cf. Menex. 236 A *καὶ ἄρχειν ἡμῶν ἐπιχειρεῖς τῶν πρεσβυτέρων τηλικοῦτος ὤν.* — [2]) Gorg. 526 D: *τὴν ἀλήθειαν σκοπῶν πειράσομαι τῷ ὄντι ὡς ἂν δύνωμαι βέλτιστος ὢν καὶ ζῆν καὶ ἐπειδὰν ἀποθνήσκω ἀποθνήσκειν.* — [3]) cf. Blass II, 435.

eis, quas aliis locis defenderat, idque consulto eum fecisse apparet, quo magis se non seria agere cognosceretur.

Ac primum immortalitatis animarum, qualem Plato definivit et docuit, in tanta opportunitate nulla fit mentio, nisi quis verba quae leguntur 247 C *φίλοι παρὰ φίλους ἀφίξεσθε—οὐδεὶς ὑποδέξεται* eo spectare dicat. Tum civitatis disciplina Atheniensium in Politico 297 E s. 302 E vituperata hic nomine dolose mutato laudatur. Porro pugnam apud Salamina factam laudibus celebrat, quamvis Legg. IV 707 C eandem eventuum perniciosorum plus quam salutarium habuisse contendat. Deinde contentionem deorum in Critia (109) reiectam in laudationem terrae reducit (Menex. 237 C). Deinceps venationem a Dati institutam eo loco qui est Legg. III 698 D [1]) ut narratiunculam ab illo editam rettulerat; eandem hic (240 B) serio et fuse exponit. Denique Socrates praetores, qui proelio apud Arginussas commisso vicerant, in transitu stringit (243 C), quamquam de eisdem, cum accusati essent, liberaliter et generose eum sensisse notum est (Apol. 32). Itaque aliquid veri inest in dicto Socratis quod legimus 236 A: *αὐτὸς μὲν παρ' ἐμαυτοῦ ἴσως οὐδέν* (*ἔχω εἰπεῖν*).

Contra philosophus nonnullis orationis locis videtur ea sibi assumpsisse, quae in Gorgia adversariis tribuuntur. In ipsa enim civitatis disciplina describenda cum vi et gravitate verbo *δοκεῖν* utitur: 238 D *τὸ πλῆθος τάς τε ἀρχὰς δίδωσι καὶ τὸ κράτος τοῖς ἀεὶ δόξασιν ἀρίστοις εἶναι.* ibid. *εἷς ὅρος, ὁ δόξας σοφὸς ἢ ἀγαθὸς εἶναι κρατεῖ καὶ ἄρχει.* 239 A: *μηδενὶ ἄλλῳ ὑπείκειν ἀλλήλοις ἢ ἀρετῆς δόξῃ καὶ φρονήσεως* (cf. 247 D *δόξουσι τῷ ὄντι ἀνδρείων παίδων πατέρες εἶναι καὶ αὐτοὶ τοιοῦτοι*). At idem Socrates dixerat Gorg. 527 B: *παντὸς μᾶλλον ἀνδρὶ μελετητέον οὐ τὸ δοκεῖν εἶναι ἀγαθόν, ἀλλὰ τὸ εἶναι καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ.* Contra Gorgias et Callicles vanam speciem defendunt, cuius efficiendae rhetoricam optimum esse instrumentum censent. Cf. Gorg. 459 B (Socr. assentiente Gorgia) *μηχανὴν δέ τινα πειθοῦς εὑρηκέναι, ὥστε φαίνεσθαι τοῖς οὐκ εἰδόσι μᾶλλον εἰδέναι τῶν εἰδότων.* C (Gorg.) *οὐκοῦν πολλὴ ῥαστώνη — μὴ μαθόντα τὰς ἄλλας τέχνας μηδὲν ἐλαττοῦσθαι τῶν δημιουργῶν;* D (Socr.) *πειθὼ*

[1]) *καί τινα λόγον ἀφῆκεν.*

μεμηχανημένος, ὥστε δοκεῖν εἰδέναι. 486 C (Call.) ἄσκει, ὁπόθεν δόξεις φρονεῖν. D ζηλῶν ἄνδρας, οἷς ἔστι καὶ βίος καὶ δόξα. Iam intellegimus, qualis evadat aristocratia a Socrate laudata. Esse enim videtur virorum ἀσκούντων, ὁπόθεν δόξουσι φρονεῖν, qui blanda illa rhetorica (522 D κολακικὴ ῥητορική) famam sibi pariunt. Qua ab opinione nos revocare non potest communis ille locus, qui orationi insertus est 246 E πᾶσα ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς πανουργία, οὐ σοφία φαίνεται. Nam etiam Gorgias censet, rhetorica iuste esse utendum (457 B ἀλλὰ δικαίως καὶ τῇ ῥητορικῇ χρῆσθαι) et Callicles dicit 490 A: τοῦτο οἶμαι ἐγὼ τὸ δίκαιον εἶναι φύσει, τὸ βελτίω ὄντα καὶ φρονιμώτερον καὶ ἄρχειν καὶ πλέον ἔχειν τῶν φαυλοτέρων; quae verba quamvis etiam meliorem vim habere videantur quam ea, quae Socrates in describendis Atheniensium institutis dicit, tamen non est dubium, quin Callicles eos in animo habeat, qui rhetoricae usu diserti facti speciem virtutis praebeant.

Praeterea ea quam Hippias Eleus invenit (Protag. 337 C sq.), Callicles Platonicus usurpavit (Gorg. 482 E. 483 A—D) distinctione iuris naturalis et excogitati vel legibus expressi philosophus ludere videtur, cum de Pelopibus, Cadmis, ceteris dicit 245 D φύσει μὲν βάρβαροι ὄντες, νόμῳ δὲ Ἕλληνες. Quod multo etiam clarius reddit, cum 239 A contrarium voculis ἰσογονία et ἰσονομία effectum additis verbis κατὰ φύσιν — κατὰ νόμον sophistice simul et tautologia quae dicitur admissa exacuit. Etiam ceteri loci, in quibus cum quadam vi voculis φύσις et φύω utitur, eandem scholam sapere videntur: 237 A milites occisi laudandi sunt κατὰ φύσιν, ἀγαθοὶ δ' ἐγένοντο διὰ τὸ φῦναι (cf. 239 A καλῶς φύντες); porro 245 D τὸ τῆς πόλεως γενναῖον — φύσει μισοβάρβαρον.

Itaque nobis quidem Socrates in Menexeno simulare videtur, se ei scholae non frustra interfuisse, quam in Gorgia dialogo impugnat, nec iam dubium esse censemus, quin interpretatio Menexeni propius ad Gorgiam Platonicum accedat necesse sit.

Hoc loco non videtur esse supervacaneum commemorare, enuntiatum quod legitur Menex. 246 E ἄλλῳ γὰρ ὁ τοιοῦτος πλουτεῖ καὶ οὐχ ἑαυτῷ resonare verba Gorgiae quae leguntur Gorg. 452 E: ὁ δὲ χρηματιστὴς οὗτος ἄλλῳ ἀναφανήσεται χρηματιζόμενος καὶ οὐχ αὑτῷ.

§. 6. 234 B *Ἀρχῖνον ἢ Δίωνα*] Num quid duoviri, quorum unum Menexenus censet electum iri, ad ironiam dialogi valeant, nos ignorare confitemur, quippe de quibus parum compertum habeamus vagasque coniecturas facere supervacaneum videatur. Ceterum Dionysius [1]) toto caelo errat, cum contendit, Platonem dicere se imitari velle Archinum et Dionem. Talis enim significatio in dialogo prorsus nulla invenitur. Nec minus Krueger [2]) errat dicens, Platonem Archini orationi perditae, de qua Photius [3]) significat, adversari voluisse; hunc enim in colloquio commemorari ideoque dubium non esse, quin Antiphontis et Lampri discipulus fuerit. Qua de re simul et de Spengeli coniectura ad Alcidamantem spectante satis disseruit Stallbaum praef. 21 sq.

§. 7. 234 C — 235 C *Καὶ μὴν, ὦ Μενέξενε κτλ.*] Locus est insignis lepidissima descriptione rhetoricae blandae omnibusque praestigiis ornatae. Quae quamvis per se constare videatur, tamen eam quodammodo ad Gorgiam respicere videbimus. Verbis enim *ὑπ' ἀνδρῶν σοφῶν τε καὶ οὐκ εἰκῇ ἐπαινούντων, ἀλλ' ἐκ πολλοῦ χρόνου λόγους παρεσκευασμένων* parodiam quasi quandam praebet loci qui est in Gorgia 503 D: *ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ καὶ ἐπὶ τὸ βέλτιον λέγων, ἃ ἂν λέγῃ, ἄλλο τι οὐκ εἰκῇ ἐρεῖ, ἀλλ' ἀποβλέπων πρός τι;* Hic enim habemus contrarium vere Socraticum, quo indicatur, orationem ad ideam sive notionem rei esse instruendam. At eidem inconsultae orationi in Menexeno, tanquam rem in ridiculum detorqueat, praeparationem diligentem opponit. Eadem autem praeparatione infra Socrates ipse gloriatur, cum significat, se orationem ad verbum edidicisse. Eundem in modum praeparatus Polus in certamen descendit, cum verisimile sit, ea verba, quibus quamvis perverse respondere studet ad interrogationem Chaerephontis (Gorg. 448 C), e libro deprompta esse. [4]) Ut vero orator declamationibus iamdudum praeparatis utatur, fieri non potest, nisi in locis communibus versatus de ipsis eorum qui sepeliuntur rebus

---

[1]) l. c. — [2]) p. 241 sqq. — [3]) 260: (*Ἰσοκράτης*) *πολλὰ τῶν κατὰ τοὺς ἐπιταφίους λόγους εἰρημένων Ἀρχίνῳ — ὑπεβάλετο.* — [4]) Syrian. Schol. ad Hermog. (Spengel *συναγ.* p. 87) *Πῶλος ὁ Γοργίου μαθητὴς ἐν τῇ τέχνῃ φησίν· πολλαὶ τέχναι — εὑρημέναι;* ad eundem locum spectare videtur Aristot. Metaph. I, p. 4 Brandis: *ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ὥς φησι Πῶλος, ὀρθῶς λέγων, ἡ δ' ἀπειρία τύχην.*

et virtutibus exponere ac praedicare minus curet. Ita etiam in Menexeno deest mortuorum descriptio [1]), nec minus Gorgiam Dionysius et Philostratus [2]) testantur in epitaphio generatim de militibus in bellis occisis disseruisse. Porro verbis *καὶ τὰ προσόντα καὶ τὰ μὴ περὶ ἑκάστου λέγοντες* in memoriam revocatur locus symposii, in quo Agathonis oratiuncula ad exemplar Gorgieum facta recensetur 198 E *οὐ τοῦτο* (sc. *τἀληθῆ λέγειν*) *ἦν τὸ καλῶς ἐπαινεῖν ὁτιοῦν, ἀλλὰ τὸ ὡς μέγιστα ἀνατιθέναι τῷ πράγματι καὶ ὡς κάλλιστα, ἐάν τε ᾖ οὕτως ἔχοντα, ἐάν τε μή· εἰ δὲ ψευδῆ, οὐδὲν ἄρ' ἦν τὸ πρᾶγμα.* Sententia autem eadem est atque in initio fragmenti epitaphii Gorgiei: *τί γὰρ ἀπῆν τοῖς ἀνδράσι τούτοις, ὧν δεῖ ἀνδράσι προσεῖναι; τί δὲ καὶ προσῆν, ὧν οὐ δεῖ προσεῖναι;* Nam si nihil deest, quod viris inesse debet, nec quidquam inest, quod inesse non debet, prorsus omnia laudabilia de eis dici possunt: *καὶ τὰ προσόντα καὶ τὰ μή.* Eandem in sententiam optime quadrat locus qui est in Phaedro 267 A: (*Τισίας Γοργίας τε*) *πρὸ τῶν ἀληθῶν τὰ εἰκότα εἶδον ὡς τιμητέα μᾶλλον τά τε αὖ σμικρὰ μεγάλα καὶ τὰ μεγάλα σμικρὰ φαίνεσθαι ποιοῦσι διὰ ῥώμην λόγου.*

Hoc loco commemorari liceat Platonem vocula *θεραπίς*, quae nisi hoc loco non invenitur, eodem sensu translaticio usum esse, quem Blass [3]) apud Gorgiam quasi novum denotat, Menex. 244 E (*ἡ πόλις*) *τοῦ ἥττονος θεραπίς*, cf. Gorg. Epit. *θεράποντες τῶν ἀδίκως δυστυχούντων.*

Deinde quod attinet ad effectum in auditore conspicuum, laudationibus a Socrate maxima neque minor vis tribuitur ea, quae in symposio Agathonis declamationi adiudicatur. Cf. Menex. 235 B sq. *οὕτως ἔναυλος ὁ λόγος τε καὶ φθόγγος παρὰ τοῦ λέγοντος ἐνδύεται εἰς τὰ ὦτα, ὥστε μόγις τετάρτῃ ἢ πέμπτῃ ἡμέρᾳ ἀναμιμνήσκομαι ἐμαυτοῦ καὶ αἰσθάνομαι οὗ γῆς εἰμι.* Symp. 198 C *καὶ γάρ με Γοργίου ὁ λόγος ἀνεμίμνησκεν, ὥστε ἀτεχνῶς τὸ τοῦ Ὁμήρου ἐπεπόνθη· ἐφοβούμην, μή μοι τελευτῶν ὁ Ἀγάθων Γοργίου κεφαλὴν δεινοῦ λέγειν ἐν τῷ λόγῳ ἐπὶ τὸν ἐμὸν λόγον πέμψας αὐτόν με λίθον τῇ ἀφωνίᾳ ποιήσειε.* Utroque enim loco mens admiratione et stupore ita fascinatur, ut desinat sui compos esse. Diversa au-

[1]) Blass II, 432. — [2]) Blass I, 55 sq. — [3]) I, 60.

tem ratione effectus depingitur, quia Socrates in symposio vituperat, hic vero ironice laudat.

In universum autem ista laudandi ratio, qua civitas, milites occisi, maiores, superstites sine discrimine aut veritatis respectu celebrantur, non differt ab ea quae in Gorgia impugnatur assentatione. Haec eadem est rhetorica, quae appellatur 455 A *πειθοῦς δημιουργὸς πιστευτικῆς, ἀλλ' οὐ διδασκαλικῆς*, 462 C *ἐμπειρία ἀπεργασίας χάριτός τινος καὶ ἡδονῆς*, 500 D *τοῦ ἡδέος θήρα*, quae efficit *εὐεξίαν δοκοῦσαν* (464 A), *τοῦ μὲν βελτίστου οὐδὲν φροντίζει, τῷ δὲ ἀεὶ ἡδίστῳ θηρεύεται τὴν ἄνοιαν καὶ ἐξαπατᾷ* (464 D), cuius caput est *κολακεία* (463 B), sc. *πρὸς τὴν ἡδονὴν ὁρμᾶσθαι καὶ χαρίζεσθαι* (502 C), *πρὸς ἡδονὴν ὁμιλεῖν* (513 D), *διακονεῖν* (521 A).

§. 8. 235 D *Καὶ ἅμα οὐδὲ αὐτοσχεδιάζειν τά γε τοιαῦτα χαλεπόν.* ibid. *οὐδὲν μέγα δοκεῖν εὖ λέγειν.* E *καὶ ἐμοὶ μέν γε οὐδὲν θαυμαστὸν οἵῳ τ' εἶναι εἰπεῖν.* 236 A *οὕτω μὲν οὖν τρεφόμενον ἄνδρα οὐδὲν θαυμαστὸν δεινὸν εἶναι λέγειν*] Iactantia Socratis his locis conspicua vehementer vituperata est ab Astio, Schleiermachero, Zellero. At cum eis qui antecedunt locis eum et sententias et verba adversariorum assumpsisse verisimile sit, etiam hic eum partes alienas agere censebimus. Nota enim est ostentatio, qua Gorgias apud Platonem in scaenam prodit. Quamquam enim declamationem modo habuit (447 A), alteram *ἐπίδειξιν* testibus Chaerephonte et Callicle exhibere promptus et paratus est (447 B); praeterea teste Callicle professus erat, se ad quamlibet interrogationem audientium responsurum esse (447 C), id quod ipse Gorgias confirmat addens 448 A *καὶ λέγω, ὅτι οὐδείς μέ πω ἠρώτηκε καινὸν οὐδὲν πολλῶν ἐτῶν.* Tum a Socrate interrogatus, num orator appellari debeat, gloriabundus dicit 449 A: *ἀγαθόν γε, εἰ δὴ ὅ γε εὔχομαι εἶναι, ὡς ἔφη Ὅμηρος, βούλει με καλεῖν.* Et cum Socrates sic velit, se breviter responsurum esse pollicetur negatque quemquam esse, qui paucioribus verbis, quam ipse, eadem dicere possit (449 C), quamquam idem ad arbitrium longissimus est.[1]) Denique magna cum ostentatione de ea quam profitetur arte loquitur, imprimis insigni illo loco 456 A sqq., quo vim eius ita comprehendit: *δυνατὸς πρὸς ἅπαντάς ἐστιν ὁ ῥήτωρ καὶ περὶ παντὸς λέγειν* (457 A).

[1]) Phaedr. 267 B (*Τισίας Γοργίας τε*) *συντομίαν τε λόγων καὶ ἄπειρα μήκη περὶ πάντων ἀνεῦρον.*

Tale exemplum Socrati ante oculos versari apparet, cum ipse in rostra escensurus ostentatione quâsi rhetoris propria utatur eamque in oratione retineat (239 C). Hoc autem multo simplicius faciliusque cognitu foret, si Socrates se ipse discipulum Gorgiae profiteretur.

235 E s. *ᾧ τυγχάνει διδάσκαλος οὖσα οὐ πάνυ φαύλη περὶ ῥητορικῆς κτλ.*] Cum reliquiae epitaphii Periclei, quas Aspasia fertur cum extemporalibus locis conglutinavisse (236 B cf. § 2), nusquam reperiantur nisi in epitaphio Thucydideo, ea autem, quae Pericles in epitaphio Samio dixisse traditur (cf. Blass I, 35), apud Platonem non inveniantur, necesse est per eum qui in hoc dialogo est Periclem significari Thucydidem, quatenus Periclem inducit contionantem, ideoque etiam Thucydides eadem ratione qua Pericles pro discipulo Aspasiae accipiendus est, ita ut Socratem et Thucydidem eadem utentes magistra Plato faciat. Persona igitur, quae Aspasiae ore et vultu ornata est, eiusmodi rhetorem obtegi necesse est, cuius vestigia et in Thucydide et in Menexeno reperiri possint, simul et talem, qui iure aliquo Antiphonti Rhamnusio opponi possit. Is enim ita inducitur, ut minor videatur rhetor quam Aspasia (236 A *ὅστις ἐμοῦ κάκιον ἐπαιδεύθη, μουσικὴν μὲν ὑπὸ Λάμπρου παιδευθείς, ῥητορικὴν δὲ ὑπ᾿ Ἀντιφῶντος*). §. 9.

Cuius cum discipulum Thucydidem fuisse Caecilius rhetor [1]) inde suspicatus sit, quod ille a Thucydide laudatus esset, Marcellinus, alii tamquam rem certam et exploratam pronuntiantes memoriae prodiderint [2]), viri docti [3]) contendunt commemorata Antiphontis disciplina denotari historicum. At hoc modo difficultas expediri omnino non potest. Nam cum Pericles ab Aspasia eruditus pro Thucydide sit, haec fere enuntiati sententia efficitur: discipulus ab Antiphonte eruditus, qui est Thucydides, peius eruditus est quam ille, qui nomine Periclis ab Aspasia institutus est, qui idem est Thucydides. Quod ferri non potest. Praeterea illis testimoniis non multum momenti tribuendum est, cum eas e laude a Thucydide (VIII, 68) Antiphonti data derivatas esse imprimis e

---

[1]) Plut. V. Ant. *Καικίλιος ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ συντάγματι Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως μαθητὴν τεκμαίρεται γεγονέναι, ἐξ ὧν ἐπαινεῖται παρ᾿ αὐτῷ ὁ Ἀντιφῶν.* — [2]) Cf. Stahl, Praef. ad Thucyd. p. VI. — [3]) Gottleber, Blass II, 432.

Plutarchi loco cognoscatur, neque comparatione utriusque operum talis ratio videatur comprobari posse. Itaque pro certo habebimus, in Menexeno tamquam Antiphontis discipulum Thucydidem non tangi. Alius igitur interpretandi modus circumspiciendus est.

Constat enim eloquentiam Graecam, quatenus litteris mandata est, iam inde ab initio in duo genera discessisse, quorum alterum ad usum civilem pertinens orationes iudiciales et deliberativas (*λ. δικανικοὺς* et *δημηγορικοὺς*) complectitur, alterum autem demonstrativum (*ἐπιδεικτικόν*) vel sophisticum appellatur [1]). Prioris autem generis, imprimis iudicialis, apud Atticos auctor et inventor sine dubio fuit Antiphon [2]). Primus enim exstitit orationum iudicialium scriptor (*λογογράφος*), quas aliis in usum iudiciorum suppeditavit et postea, ut exemplaria essent, edidit [3]); praeterea paucas orationes deliberativas conscripsit, demonstrativas vero nullas, cum eae, quarum tituli exstant, auctore Blassio ab eo abiudicandae sint. [4]) Itaque non est dubium, quin in Menexeno ut inventor et magister generis civilis vel iudicialis commemoretur simul et pro nota Platonis orationum iudicialium contemptione [5]) leniter stringatur. De certo igitur discipulo eius coniectare non opus est, cum oppositionem Antiphontis et Aspasiae ad genus dicendi pertinere appareat, non ad ipsam doctrinam. Non male autem res se haberet, si comprobari posset, Archinum et Dionem illius fuisse discipulos.

Quae si ita sunt, necesse est, persona Aspasiae nomine ornata obtegi auctorem et inventorem alterius generis dicendi et scribendi. demonstrativi vel sophistici, qui Antiphonti opponatur, aut certe scholam illo genere gaudentem. Talis autem auctor unus exstat Gorgias. Is enim non solum primus litteris mandavit orationem Atticam solutam, cuius parens in epitaphio conscribendo exstitit [6]), sed etiam inventor generis demonstrativi sine ulla dubitatione habendus est [7]). Cui generi teste Dionysio ita addictus fuit, ut imprimis orationes demonstrativas ederet, paucas deliberativas, iudiciales autem nullas. [8])

---

[1]) Blass I, 4. — [2]) Blass I, 59. 79. 84. — [3]) Blass I, 44. 81. — [4]) Blass I, 97—102. — [5]) cf. exempli gratia Phaedr. 272 D. — [6]) Susemihl, Gorgias u. d. att. Prosa. Neue Jahrb. 115, 793 sqq. — [7]) Blass I, 43. 52. 57. 58. 59. — [8]) Blass I, 53.

Gorgias vero aliquo iure appellari potest magister Thucydidis. Eius enim in libro, quamvis historicus non nimis frequenter schematis quae dicuntur Gorgieis utatur, tamen satis multi inveniuntur loci, qui scholam Gorgieam sapiunt, ita ut eum illa ornamenta cognovisse minimeque sprevisse appareat [1]). Quorum schematum exempla attulerunt Dionysius [2]) et Blass [3]). Imprimis autem apud Thucydidem inveniuntur oppositiones, rarius paromoea et parisa. Exempli igitur gratia conferantur duae orationes Pericleae secundo libro insertae:

35, 1. opponuntur a) *οἱ μὲν πολλοί* — *ἐμοὶ δέ*. b) *τὸν λόγον* — *ἔργῳ*. c) *ἀγαθῶν ἔργῳ γενομένων* | *ἔργῳ καὶ δηλοῦσθαι τὰς τιμάς*. d) *ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ πολλῶν*. e) *εὖ τε καὶ χεῖρον*. 2. *ὅ τε γὰρ ξυνειδὼς* — *ἐνδεεστέρως* — *ὅ τε ἄπειρος* — *πλεονάζεσθαι*. 36, 2. *ἢ αὐτοὶ ἢ οἱ πατέρες* | *βάρβαρον ἢ Ἕλληνα*. 37, 1. a) *οὐ ζηλούσῃ τοὺς τῶν πέλας νόμους, παράδειγμα δέ*. b. *παρ. δ. μᾶλλον αὐτοὶ* — *ἢ μιμούμενοι ἑτέρους*. c. *ὄνομα μὲν* — *μέτεστι δὲ*. d) *διὰ τό μὴ ἐς ὀλίγους* | *ἀλλ᾽ ἐς πλείονας*. e) *κατὰ μὲν τοὺς νόμους πρὸς τὰ ἴδια* — *τὸ ἴσον* | *κατὰ δὲ τὴν ἀξίωσιν* — *ἐς τὰ κοινὰ προτιμᾶται*. f) *οὐκ ᾽πὸ μέρους τὸ πλεῖον* — *ἢ ἀπ᾽ ἀρετῆς*. 2. a) *τά τε πρὸς τὸ κοινὸν* — *καὶ ἐς τὴν πρὸς ἀλλήλους* — *ὑποψίαν*. b) *ἀζημίους μέν, λυπηρὰς δέ*. 3. *τὰ ἴδια προσομιλοῦντες* | *τὰ δημόσια* — *οὐ παρανομοῦμεν*. 39, 1. a) *ἢ μαθήματος ἢ θεάματος* (homoeotel.). b) *οὐ ταῖς παρασκευαῖς* — *ἀπάταις* | *ἢ τῷ ἀφ᾽ ἡμῶν αὐτῶν* — *εὐψύχῳ*. c) *οἱ μὲν ἐπιπόνῳ* — *τὸ ἀνδρεῖον μετέρχονται* | *ἡμεῖς δὲ ἀνειμένως* — *ἐπὶ τοὺς ἰσοπαλεῖς κινδύνους χωροῦμεν*. 2. a) *οὔτε καθ᾽ ἑαυτοὺς* | *μετὰ πάντων δέ*. b) *ἐπελθόντες* — *τοὺς ἀμυνομένους*. c) *ἐν τῇ ἀλλοτρίᾳ τοὺς περὶ τῶν οἰκείων*. 3. a) *διὰ τὴν τοῦ ναυτικοῦ ἐπιμέλειαν* | *καὶ τὴν ἐν τῇ γῇ* — *ἐπίπεμψιν*. b) *κρατήσαντάς τινας πάντας αὐχοῦσιν*. 4. a) *ῥαθυμίᾳ μᾶλλον ἢ πόνων μελέτῃ*. b) *μὴ μετὰ νόμων τὸ πλεῖον ἢ τρόπων ἀνδρίας*. 40, 1. a) *φιλοκαλοῦμεν γὰρ μετ᾽ εὐτελείας* | *καὶ φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας* (parison, adnominatio, homoeote-

---

[1]) cf. Dionys. ad Amm. II, c. 2. De Thucyd. c. 24. — [2]) ad Amm. II, c. 17. de Thucyd. 48. Non raro ab eo Thucydides cum Gorgia componitur, cf. de admir. vi dic. in Demosth. c. 4: *τῆς δὲ Θουκυδίδου καὶ Γοργίου (λέξεως) τὴν μεγαλοπρέπειαν καὶ σεμνότητα καὶ καλλιλογίαν*. c. 6: (*Πλάτων*) *τῆς Γοργίου καὶ Θουκυδίδου κατασκευῆς ἐρασθείς*. — [3]) I, 211 sqq.

leuton). b) ἔργου μᾶλλον καιρῷ ἢ λόγου κόμπῳ. c. οὐχ ὁμολογεῖν τινι αἰσχρόν, | ἀλλὰ μὴ διαφεύγειν ἔργῳ αἴσχιον (epiphora). 2. a) οἰκείων ἅμα καὶ πολιτικῶν. b) οὐκ ἀπράγμονα, ἀλλ' ἀχρεῖον (α priv. parechesin praebet). c) ἤτοι κρίνομεν ἢ ἐνθυμούμεθα. d) οὐ τοὺς λόγους τοῖς ἔργοις — ἀλλὰ μὴ προδιδαχθῆναι μᾶλλον λόγῳ ἢ ἔργῳ ἐλθεῖν. 3. ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον. 4. a) οὐ πάσχοντες εὖ ἀλλὰ δρῶντες. b) βεβαιότερος ὁ δράσας — ὁ δ' ἀντοφείλων ἀμβλύτερος (Chiasmus). c) οὐκ ἐς χάριν ἀλλ' ἐς ὀφείλημα. d) οὐ τοῦ ξυμφέροντος μᾶλλον λογισμῷ ἢ τῆς ἐλευθερίας τῷ πιστῷ. 41, 1. τήν τε πᾶσαν πόλιν — καὶ καθ' ἕκαστον. 2. οὐ λόγων — κόμπος τάδε μᾶλλον | ἢ ἔργων ἐστὶν ἀλήθεια. 3. οὔτε τῷ πολεμίῳ — ἀγανάκτησιν ἔχει ὑφ' οἵων κακοπαθεῖ | οὔτε τῷ ὑπηκόῳ κατάμεμψιν ὡς οὐχ ὑπ' ἀξίων ἄρχεται. 4. a) μετὰ μεγάλων σημείων καὶ οὐ δή τοι ἀμάρτυρον. b) ἔπεσι μὲν τὸ αὐτίκα τέρψει, τῶν δ' ἔργων τὴν ὑπόνοιαν ἡ ἀλήθεια βλάψει (homoeotel.). c) πᾶσαν μὲν — πανταχοῦ δέ. 42, 2. ἰσόρροπος ὁ λόγος τῶν ἔργων. b) πρώτη τε μηνύουσα καὶ τελευταία βεβαιοῦσα. 3. a) ἀγαθῷ γὰρ κακόν. b) κοινῶς μᾶλλον ὠφέλησαν ἢ ἐκ τῶν ἰδίων ἔβλαψαν (duplex oppositio, homoeotel.). 4. a) οὔτε πλούτῳ τὴν ἔτι ἀπόλαυσιν — ἐμαλακίσθη | οὔτε πενίας ἐλπίδι ὡς κἂν ἔτι-πλουτήσειεν ἀναβολὴν τοῦ δεινοῦ ἐποιήσατο. b) τὴν δὲ — ποθεινοτέραν λαβόντες | καὶ κινδύνων — κάλλιστον νομίσαντες. c) τοὺς μὲν τιμωρεῖσθαι, τῶν δὲ ἀφίεσθαι (homoeotel.). d) ἐλπίδι μὲν τὸ ἀφανὲς — ἐπιτρέψαντες | ἔργῳ δὲ περὶ τοῦ ἤδη ὁρωμένου σφίσιν αὐτοῖς ἀξιοῦντες πεποιθέναι. e) τὸ ἀμύνεσθαι καὶ παθεῖν μᾶλλον ἡγησάμενοι | ἢ τὸ ἐνδόντες σώζεσθαι. f) τὸ μὲν αἰσχρὸν τοῦ λόγου ἔφυγον, τὸ δ' ἔργον τῷ σώματι ὑπέμειναν. g) δι' ἐλαχίστου καιροῦ τύχης | ἅμα ἀκμῇ τῆς δόξης. h) τ. δ. μᾶλλον ἢ τοῦ δέους. 43, 1. a) ἀσφαλεστέραν μὲν — ἀτολμοτέραν δέ. b) σκοποῦντας μὴ λόγῳ μόνῳ — ἀλλὰ μᾶλλον — ἔργῳ θεωμένους. 2. a) κοινῇ τὰ σώματα διδόντες | ἰδίᾳ τὸν ἀγήρων ἔπαινον ἐλάμβανον. b) οὐκ ἐν ᾧ κεῖνται μᾶλλον, ἀλλ' ἐν ᾧ. c) καὶ λόγου καὶ ἔργου. 3. a) οὐ στηλῶν μόνον ἐν τῇ οἰκείᾳ — ἐπιγραφή, | ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ μὴ προσηκούσῃ ἄγραφος μνήμη (duplex oppositio, adnominatio). b) τῆς γνώμης μᾶλλον ἢ τοῦ ἔργου. 6. ἀλγεινοτέρα — ἡ μετὰ τοῦ μαλακισθῆναι κάκωσις ἢ ὁ μετὰ ῥώμης — ἀναίσθητος θάνατος. 44, 1. a) οὐκ

ὀλοφύρομαι μᾶλλον ἢ παραμυθήσομαι. b) *τῆς εὐπρεπεστάτης — οἵδε μὲν νῦν, τελευτῆς, ὑμεῖς δὲ λύπης.* c) *ἐνευδαιμονῆσαι — καὶ εὖ τελευτῆσαι.* 2. *οὐχ ὧν ἄν τις μὴ πειρασάμενος — στερίσκηται, ἀλλ' οὗ ἂν ἐθὰς γενόμενος ἀφαιρεθῇ.* 3. a) *ἰδίᾳ — καὶ τῇ πόλει.* b) *τῶν οὐκ ὄντων λήθη οἱ ἐπιγιγνόμενοι.* 4. *οὐ τὸ κερδαίνειν — ἀλλὰ τὸ τιμᾶσθαι.* 45, 1. *οὐχ ὁμοῖοι, ἀλλ' ὀλίγῳ χείρους.* 46, 1. *εἴρηται καὶ ἐμοὶ λόγῳ — καὶ ἔργῳ.* b) *τὰ μὲν ἤδη κεκόσμηνται — τὰ δὲ — θρέψει.*

Hoc loco non alienum videtur commemorare, antitheta bis et vicies effici negatione alterutri membro adiecta.

His exemplis addantur parisa e tertia oratione Periclea deprompta, quae accurato fere ordine verborum sibi respondentium insignia sunt:

60, 1. *ἢ ἐμοὶ χαλεπαίνετε ἢ ταῖς ξυμφοραῖς εἴκετε* (homoeotel.). 2. *καθ' ἕκαστον — εὐπραγοῦσαν, ἀθρόαν δὲ σφαλλομένην.* 3. *καλῶς μὲν γὰρ φερόμενος ἀνὴρ — διαφθειρομένης τῆς πατρίδος οὐδὲν ἧσσον ξυναπόλλυται | κακοτυχῶν δὲ ἐν εὐτυχούσῃ πολλῷ μᾶλλον διασώζεται* (homoeotel.). 4. *ταῖς κατ' οἶκον κακοπραγίαις ἐκπεπληγμένοι | τοῦ κοινοῦ τῆς σωτηρίας ἀφίεσθε.* 61, 2. a) *πεισθῆναι μὲν ἀκεραίοις, μεταμέλειν δὲ κακουμένοις.* b) *τὸ μὲν λυποῦν ἔχει ἤδη τὴν αἴσθησιν ἑκάστῳ | τῆς δὲ ὠφελίας ἄπεστιν ἡ δήλωσις ἅπασι.* 62, 3. *ἔχοντας ἀφαιρεθῆναι ἢ κτωμένους ἀτυχῆσαι.* b) *μὴ φρονήματι μόνον ἀλλὰ καὶ καταφρονήματι* (adnominatio). 63, 2. *λαβεῖν μὲν ἄδικον — ἀφεῖναι δὲ ἐπικίνδυνον.* 64, 2. *τά τε δαιμόνια ἀναγκαίως | τά τε ἀπὸ τῶν πολεμίων ἀνδρείως* (homoeotel.). 6. a) *ἔς τε τὸ μέλλον καλόν — ἔς τε τὸ αὐτίκα μὴ αἰσχρόν.* b) *γνώμῃ μὲν ἥκιστα λυποῦνται | ἔργῳ δὲ μάλιστα ἀντέχουσιν.*

Scite igitur Socrates imitandos tales imprimis locos elegisse videtur, in quibus illorum schematum aliquid inest (cf. §. 2.). In ea autem quam ipse recitat oratione funebri rationem dicendi Gorgieam ita imitatur, ut interdum Gorgiam ipsum loqui putemus [1]), id quod infra accuratius exponemus. Ab eodem autem eum videbimus ne in argumento quidem discessisse, quod non solum cum ea quae in Menexeno est descriptione eloquentiae, sed etiam cum ea

[1]) Blass II, 437 cf. 438.

quae in Gorgia dialogo et in Symposio impugnatur ratione optime convenit.

Itaque cum iure dici possit, et Thucydidem et in Menexeno Socratem contionantem Gorgia magistro usos esse, cumque Thucydides in dialogo per Periclem repraesentetur isque aeque ac Socrates Aspasia utatur magistra, sequitur, ut nomine Aspasiae obtegatur Gorgias vel eius schola. Quam comparationem neque ab Aspasia neque a Gorgia alienam esse, breviter exponendum est.

Ac primum nihil contemptionis in eo reperiri potest, quod Gorgias, de quo Plato aliis locis cum aliqua observantia loquitur, nomine Aspasiae occultatur; nam erat femina ingenio et suavitate insignis, neque est, cur ea potius vulgares laudatores repraesentet. Immo grata eius indoles aeque ac nomen vitaeque condicio bene convenit cum ea rhetorica, cuius est *πρὸς ἡδονὴν ὁρμᾶσθαι* et *χαρίζεσθαι.* Porro cum in Gorgia (481 D sq.) ea ratio, quae inter oratorem et populum intercedit, illustretur ratione, quae est inter amatorem et puerum amore venereo dilectum, ita ut omne illius studium ad placendum et assentandum conferatur, non est, cur dubitemus, quin Plato Aspasia pro Gorgia ad similitudinem ludimagistri inducta tecte admonere voluerit ludi amicarum (*παιδίσκαι ἑταιροῦσαι*), quem ab Aspasia habitum esse constat[1]; nam sicut illae a magistra ornabantur et instruebantur, ut viris placerent et blandirentur, ita Gorgias discipulos omnibus dicendi artificiis ornavit, quibus populo placere et assentari possent. Quamquam nostro quidem sensui talis comparatio displicet aeque atque illa, quam in Gorgia invenimus. Denique fama fuit, Aspasiam cum multis Atheniensibus de rhetorica sermones contulisse, quamquam fieri non potest, ut Lysicles ovium mercator ab illa eruditus et summus orator factus sit, id quod Aeschines Socraticus narravisse fertur[2]; nam Lysiclem uno anno post Periclis mortem in Caria occidisse

---

[1]) Plut. Pericl. 24. *καίπερ οὐ κοσμίου προεστῶσαν ἐργασίας οὐδὲ σεμνῆς, ἀλλὰ παιδίσκας ἑταιρούσας τρέφουσαν.* — [2]) Schol. in Plat. Menex. *ἐπεγήματο δὲ ἡ Ἀσπασία μετὰ τὸν Περικλέους θάνατον Λυσικλεῖ τῷ προβατοκαπήλῳ καὶ ἐξ αὐτοῦ ἔσχεν υἱὸν ὀνόματι Ποριστήν, καὶ τὸν Λυσικλέα ῥήτορα δεινότατον κατεσκευάσατο, ὡς Αἰσχίνης ὁ Σωκρατικός.* Cui narratiunculae addit Plut. Pericl. 24, 3: *ἐν δὲ τῷ Μενεξένῳ τῷ Πλάτωνος — τοσοῦτόν γ' ἱστορίας ἔνεστιν, ὅτι δόξαν εἶχε τὸ γύναιον ἐπὶ ῥητορικῇ πολλοῖς Ἀθηναίων ὁμιλεῖν.*

constat[1]); immo narratiunculam e Menexeno derivatam esse verisimile est, nisi quis velit, illam famam a comicis ortam esse.

Quid vero sibi velint duo musici Aspasiae et Antiphonti additi, non satis intellegi potest, cum admodum pauca de eis tradita sint, imprimisque ignoremus, quae ratio inter utrumque intercedat. Quam si perspiceremus, certo oppositio Aspasiae et Antiphontis clarior fieret. Connum autem citharistam mediocrem fuisse, id quod Steinhart[2]) contendit, ex eo colligi non potest, quod ille primas partes fabulae Ameipsiae egerit; nam in comoedia summi viri derisi sunt. Immo non ita mediocrem eum fuisse, ex eo cerni potest, quod Socrates eum etiam in Euthydemo (272) magistrum suum appellat. Optime autem cum Aspasia Gorgiam repraesentante videtur compositus esse, quod Olympiae coronatus esse traditur[3]) ideoque eminuit *ἐν τῇ κιθαριστικῇ τῇ ἐν τοῖς ἀγῶσι*, quae in Gorgia (501 E) in numero *κολακείας* habetur.

Plura de Lampro memoriae tradita sunt; Plutarchus[4]) enim commemorat, eum lyristen fuisse, Athenaeus[5]) autem eum saltandi magistrum Sophoclis eundemque aquae bibulum (*ὑδροπότην*) appellat. Quae res num quid valeant ad Lamprum cum Antiphonte componendum, parum compertum nos habere confitemur.

Iam quaerendum est, quid rei omnino musicis cum rhetorica sit. Ac si quis contendere velit, adiectis musicis intimam rhetoricae et sophisticae coniunctionem significari, quod auctore Protagora[6]) sophistae antiquiores musica velamento usi sint, metus est, ne longius repetitum videatur. Rectius igitur de ea musica cogitabimus, quae cernitur in compositione (*ἁρμονία, σύνθεσις*) et numeris deligendis. Nam de demonstrativis certe orationibus Isocrates dicit 15, 46: *οὓς ἅπαντες ἂν φήσειαν ὁμοιοτέρους εἶναι τοῖς μετὰ μουσικῆς καὶ ῥυθμῶν πεποιημένοις ἢ τοῖς ἐν δικαστηρίῳ λεγομένοις*. Et ut accuratius rem exprimamus, musici spectare videntur ad poeticam primarum orationum indolem. Cf. Aristot. Rhet. III, 1. p. 122: *ποιητικὴ πρώτη ἐγένετο λέξις, οἷον ἡ Γοργίου.* Imprimis enim Gorgias orationem usu verborum poetico ornavit et loco metrorum numerorumque eam quae in schematis cernitur concinnitatem consectatus est[7]).

---

[1]) Thuc. 3, 19. — [2]) p. 363. — [3]) Cf. Kock ad Ar. Eq. 534. — [4]) de mus. 31. — [5]) II, 44. — [6]) Plat. Protag. 316 D. E. — [7]) Blass I, 58. 60.

§. 10. 236 B. *Ἀσπασίας δὲ καὶ χθὲς ἠκροώμην περαινούσης ἐπιτάφιον λόγον κτλ.*] Plato cum fingat, Aspasiam in edocendo Socrate rhetoris partes suscepisse, accurate quaerendum est, num qua similitudo sit inter eam quam adhibet docendi rationem et Gorgieam. Ac primum Aspasia orationem composuit ex partibus extemporalibus (*τὰ μὲν ἐκ τοῦ παραχρῆμά μοι διήει*) et antea praeparatis (*τὰ δὲ πρότερον ἐσκεμμένη*), reliquias epitaphii Periclei conglutinans. His reliquiis prioris praeparationis significari apparet locos communes disciplinae Gorgieae proprios. Cicero [1]) enim dicit, „scriptas fuisse et paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, quae nunc communes appellantur loci; quod idem fecisse Gorgiam, cum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset, quod iudicaret hoc oratoris esse maxime proprium rem augere posse laudando vituperandoque rursus affligere". Cf. Quint. III, 1, 12: „horum primi communes locos tractasse dicuntur Protagoras, Gorgias". Quo autem pertinuerint illi loci communes, Aristoteles exponit Soph. El. c. 34: *τῶν περὶ τοὺς ἐριστικοὺς λόγους μισθαρνούντων ὁμοία τις ἦν ἡ παίδευσις τῇ Γοργίου πραγματείᾳ· λόγους γὰρ οἱ μὲν ῥητορικούς, οἱ δὲ ἐρωτητικοὺς ἐδίδοσαν ἐκμανθάνειν, εἰς οὓς πλειστάκις ἐμπίπτειν ᾠήθησαν ἑκάτεροι τοὺς ἀλλήλων λόγους.* Ediscebantur igitur, ut occasione oblata orationibus habendis insererentur, et imprimis idonei erant, quibus uterentur oratores demonstrativi [2]). Talem locum communem vel laudationem adhibet Polus Gorg. 448 C, quam e libro depromptam esse vidimus simul et interrogationi Chaerephontis male respondere, eiusdemque generis videntur esse ea, quae Gorgias affert 452 E, quo loco invenimus enuntiatum in Menexeno modica mutatione repetitum, nec minus laudatio artis quam exhibet 456 A sq.; nam etiam haec minime quadrat in interrogationem Socratis, *ἥτις ποτὲ ἡ δύναμίς ἐστι τῆς ῥητορικῆς.* De eis autem, qui locis communibus exornati e schola Gorgiae prodibant, iusto iure dici potest id quod legimus Menex. 235 D: *εἰσὶν ἑκάστοις τούτων λόγοι παρεσκευασμένοι*, et in eosdem bene quadrat laus a Socrate Polo propter id quod commemoravimus responsum tributa Gorg. 448 D: *καλῶς φαίνεται Πῶλος παρεσκευάσθαι εἰς λόγους.*

Praeterea cum appareat talibus locis communibus insertis in-

[1]) Brut. §. 46 sq. — [2]) Blass I, 50. 51.

dolem orationum inaequalem et variam evadere, Aspasia optime hanc componendi rationem verbo *συγκολλᾶν* denotavisse videtur eodemque de inaequali indole eius quam ipsa Socratem edocuit orationis significavisse; magnum enim discrimen esse inter priorem et alteram eius partem facile intellegi potest.

Maximum autem momentum Aspasia ediscendo tribuit, nam non multum afuit, quin Socrates plagas acciperet, quod obliviosus erat (236 C). Quod idem disciplinae Gorgieae proprium fuisse, ex Aristotelis verbis l. c. elucet. Omnis enim Gorgiae doctrina in eo versabatur, ut exemplaria vel specimina ediscenda discipulis traderentur, et id quidem artis sophisticae proprium erat [1]). Optime igitur Socrates in Gorgia (463 B) rhetoricam appellat *ἐμπειρίαν καὶ τριβήν*. Itaque non est dubium, quin Plato Gorgiae disciplinam ironice ita describere voluerit, ut eam esse contrariam ei qua ipse utebatur disserendi rationi appareret.

Tamen hoc loco etiam alius cernitur aculeus. Callicles enim dicit in Gorgia 485 C sq. *ὅταν πρεσβύτερον ἴδω ἔτι φιλοσοφοῦντα καὶ μὴ ἀπαλλαττόμενον, πληγῶν μοι δοκεῖ ἤδη δεῖσθαι.* Iam intellegimus, cur Socrates obliviosum se profiteatur. Auctore enim Callicle senex ludum rhetoris ingressus laborem et operam in ediscendo consumit, sed adeo adhaerescit philosophiae, ut artificia rhetorica sibi inculcata memoria tenere non possit. Itaque cum Aspasia quodammodo minas Calliclis exsequi videatur, etiam hic locus nobis argumento est, quam intima intercedat ratio Menexeno cum Gorgia, neque dubium est, quin Socrates significet, quam ridiculus eveniat effectus, si ipse senex Calliclis consilium secutus propter philosophiae amorem minis plagarum terreatur.

236 C. *ἀλλ' ὅπως μή μοι χαλεπανεῖ ἡ διδάσκαλος*. Cf. 549 E **§. 11.**
ἀλλ' ὅπως μου μὴ κατερεῖς] Si Socrates revera se discipulum Gorgiae profitetur, non est mirum, quod cupit fontem studiorum suorum occultari, quippe quem in Gorgia dialogo repudiaverit. Itaque non est, cur haec tecta agendi ratio vituperetur. Immo legentes hoc modo scite admonentur, nomine Aspasiae hominem vel scholam obtegi, quacum antea Socrati aliquid negotii fuerit.

236 C. *Ἀλλὰ μέντοι σοί γε δεῖ χαρίζεσθαι, ὥστε κἂν ὀλίγου,*

---

[1]) Blass I, 51.

εἴ με κελεύοις ἀποδύντα ὀρχήσασθαι, χαρισαίμην ἄν] Locus ab interpretibus [1]) vehementer vituperatus collatis Ciceronis dictis quae leguntur in Off. 3, 19. 24. defendi minime potest, cum illic in foro saltare a bono et sapienti viro prorsus alienum declaretur. Meliore iure viri docti monuerunt, verbum *ἀποδῦναι* non esse nudare corpus, sed exuere pallium, id quod etiam vocula *γυμνὸς* significare potest. Cf. Ar. Nub. 497 sq. Deinde nullum exstat indicium, Socratem palam vel in via saltare velle, nam adicit: *ἐπειδή γε μόνω ἐσμέν*, neque ulla in dialogo significatio invenitur, ubinam Socrates et Menexenus sint. At omnino Socrates excusatione vix egere videtur. Ironice enim significat se Menexeni gratia aliquid facturum esse, quod etiam magis ridiculum sit quam orationem habere. Qua re Socrates simul tecte indicat orationem, quam editurus sit, seriam non esse; serio enim talem orationem habere non minus a se esse alienum quam pallio exuto saltare.

§. 12. Singulis igitur locis examinatis si dialogum totum spectamus, apparet colloquium, cum perfusum sit irrisione lepidissima, dialectica illa arte, qua Socrates Platonicus excellit, omnino carere, immo argumento satis exili et minuto contineri. Quod, si ea, quae collato imprimis Gorgia dialogo invenisse nobis videmur, hoc modo circumscribi potest: Socrates, qui in Gorgia notionem sive ideam rhetoricae a Leontino tractatae dialectice explicaverat in dialogica Menexeni parte Gorgiae disciplinam sive docendi rationem deridet. Quam rem ita instituit, ut simulet se eius eloquentia, cuius disciplinam paucis describit, imbutum esse et iam abiecta philosophia et disciplina dialectica ipsum rhetorem exstitisse. Itaque cum Gorgiae disciplina imprimis tradendis exemplaribus habendisque orationibus demonstrativis contineatur, ipse Socrates bene praeparatus declamationem (*ἐπίδειξιν*) sine ambagibus dialecticis exhibet; quam Menexenus in modum discipuli rhetorici admodum submissi laudibus excipit. Scaenam igitur, ut ita dicam, habemus scholasticam vel ad similitudinem scholae factam simul et ironice detorsam. Ac ne quis dubitet, quin iste idem sit Socrates, quem satis novimus, adduntur loci, quibus legentes fortissimi sophistarum impugnatoris admoneantur. Tales inveniuntur 235 C *ἀεὶ σὺ προσπαίζεις τοὺς*

[1]) Ast, Schleierm., Zeller, Steinhart.

ῥήτορας, 236 A *αὐτὸς μὲν παρ᾽ ἐμαυτοῦ ἴσως οὐδέν*, 236 C *ἄν σοι δόξω πρεσβύτης ὢν ἔτι παίζειν.* Nec minus Menexenus cum significet se iocum perspicere, verae libelli indolis nos admonet.

Iam vero quaeramus, num id quod Socrates profert artis specimen quadret in ea quae invenimus vestigia simul et in eam quam ipse in parte dialogica exhibuit rhetoricae descriptionem. Quae omnia cum nos propius adduxerint ad Gorgiam eiusque artem, imprimis nota illius schemata [1]), quae Platonem imitatum esse Dionysius [2]), quamquam consilium philosophi non perspicit, nonnullis exemplis demonstrat, tum cetera, quae ad illius genus dicendi pertinent, in Menexeno accurate investigare studebimus. Quam ad rem ipse Socrates impellere videtur; nam non solum fascinatio auditoris ab eo descripta, sed etiam verba quae leguntur 235 A *κάλλιστά πως τοῖς ὀνόμασι ποικίλλοντες* (cf. Gorg. 521 E *τὰ κομψὰ ταῦτα*) ad dicendi rationen spectant.

Quod vero philosophus orationem funebrem sibi elegit, qua artem ostenderet, non mirum videtur, cum genus demonstrativum primum in laudationibus funebribus in publicum prodierit simul et frequentissime adhibitum sit; ac Gorgias cum primus talem orationem litteris mandaverit, non dubium esse videtur, quin philosophus eadem orationis specie eligenda significare voluerit, se ad illum spectare.

Qua ratione autem Plato ornamenta Gorgiea imitatus sit, melius perspiciemus, si locis Menexeni colligendis praemittemus nonnulla exempla e Gorgiae fragmentis [3]) et eis locis Platonicis deprompta,

---

[1]) Dionys. ad Amm. II c. 2: *εὕροι δ᾽ ἄν τις οὐκ ὀλίγα καὶ τῶν θεατρικῶν σχημάτων κείμενα παρ᾽ αὐτῷ* (sc. *Θουκ.*)· *τὰς παρισώσεις λέγω καὶ παρομοιώσεις καὶ παρονομασίας καὶ ἀντιθέσεις, ἐν αἷς ἐπλεόνασε Γοργίας ὁ Λεοντῖνος καὶ οἱ περὶ Πῶλον καὶ Λικύμνιον.* Cf. c. 17: *οἱ μειρακιώδεις σχηματισμοὶ τῶν ἀντιθέτων τε καὶ παρομοίων καὶ παρισώσεων, ἐν οἷς οἱ περὶ τόν Γοργίαν μάλιστα ἐπλεόνασαν.* Cf. Cic. Orat. §. 195: paria paribus adiuncta (*πάρισα*) et similiter definita (*παρόμοια*) itemque contrariis relata contraria — Gorgias primus invenit, sed iis est usus intemperantius. Cf. §. 165: in huius concinnitatis consectatione Gorgiam fuisse principem accepimus. — [2]) de admir. vi dic. in Demosth. c. 25: *ἐπειθ᾽ ὥσπερ τὰ μειράκια, καταβὰς ἀπὸ τῶν γενναίων καὶ μεγαλοπρεπῶν ὀνομάτων τε καὶ σχημάτων, ἐπὶ τὰ θεατρικὰ τὰ Γοργίεια ταντὶ παραγίνεται· τὰς ἀντιθέσεις καὶ παρισώσεις λέγω· καὶ διὰ τῶν λήρων τούτων κοσμεῖ τὴν φράσιν.* — [3]) Frgm. epitaphii apud scho-

quos constat ad Gorgiae imitationem compositos esse. Tales inveniuntur in Agathonis oratione quae est in symposio 194 E — 197 E, in Gorgia 448 C. 452 E. 456 A — 457 C. 473 C.

II. De oratione funebri.

A. De genere dicendi.

a. Paromoea.

§. 13. 1. Homoeoteleuta.

Gorg. epit. a) *θειότατον καὶ κοινότατον.* b) *βουλεύοντες — ἀποτελοῦντες· θεράποντες.* c) *τῶν ἀδίκως δυστυχούντων — τῶν ἀδίκως εὐτυχούντων.* d) *συμφέρον — πρέπον.* e) *τῷ φρονίμῳ τῆς γνώμης — τὸ ἄφρον <τῆς ῥώμης>* (Sppe). e) *ἀγάλματα — ἀναθήματα.* Olymp.: a) *ὑπομεῖναι — γνῶναι.* b) *βουλόμενον — δυνάμενον.* Frgm. 19: *χρῷτο — τιμῷτο.*

Menex. 236 E a) *ἱκανῶς ἐπαινέσεται — εὐμενῶς παραινέσεται.* b) *παρακελευόμενος — παραμυθούμενος.* 237 C *ἔρις τε καὶ κρίσις.* D *παντοδαπά — βοτά.* 238 A *κυήσει καὶ γεννήσει.* B a) *παιδευσάμενοι — διδαξάμενοι.* b) *κτῆσίν τε καὶ χρῆσιν.* c) *γεννηθέντες δὲ καὶ παιδευθέντες.* C *ἀγαθῶν — κακῶν.* D *οὔτε πενίᾳ οὔτ᾽ ἀγνωσίᾳ.* 239 B *πρὸς Καδμείους — πρὸς Ἀργείους.* D *ἡγουμένους — δουλουμένους.* b) *ἔκγονοι — ἡμέτεροι.* c) *ἰδεῖν — ἐπαινεῖν.* d) *χρόνῳ — λόγῳ.* 240 A *ἄρχοντα — ἄγοντα.* B a) *ἐχειρώσατο μὲν — διηρεινήσατο δέ.* b) *διαστάντες, συνάψαντες.* D a) *σωτηρίαν, ἡσυχίαν.* b) *δεξάμενοι — καὶ κολασάμενοι.* 241 A *ναυμαχήσασι καὶ νικήσασι.* B a) *τέχνῃ καὶ ῥώμῃ.* b) *νεῶν τε καὶ ἀνδρῶν.* C *μαθόντας καὶ ἐθισθέντας.* E a) *ναυμαχήσαντες — στρατεύσαντες — πλεύσαντες.* b) *ἄλλοσε πολλαχόσε.* 242 A *γενομένης — τιμωμένης.* B *ἀπιόντες, καταλιπόντες* (homoeoteleuti causa structura *ᾤχοντο ἀπιόντες* videtur esse adhibita). C *ἐπιστρατευσάντων καὶ τεμόντων — ἐκτινόντων.* b) lectior vocula

---

liastam ad Hermog. *περὶ ἰδεῶν*, e Dionysii libro depromptum. Cf. Foss, de Gorgia Leont. p. 69 sq. 2) Frgm. Olympici apud Clementem Alex., repertum a Bernays, Rh. Mus. 1853 p. 432. Blass I, 55. 3) Frgm. apud Plut. Vit. Cim. c. 10 (Sauppe fr. 19). Blass I, 61. 4) Frgm. apud Longin. de sublim. 3, 1. 2. p. 247. Sauppe.

Σφαγίᾳ haud scio an adhibita sit propter praecedentem *ναυμαχίᾳ*. D *δεῖν πολεμεῖν*. 243 C *πολεμίους* — *φιλίους*. E a) *στασιάσαι* — *νοσῆσαι*. b) *ἐκ τοῦ Πειραιῶς καὶ ἄστεως ὡς ἀσμένως καὶ οἰκείως*. 244 A voculae *κακίᾳ* respondere videtur *δυστυχίᾳ*. B a) *ἔχομεν* — *ἐποιήσαμεν* — *ἐπάθομεν*. b) *τοῖς μὲν* — *συγγιγνώσκουσα* — *τοῖς δὲ* — *ἀγανακτοῦσα*. c) *κακῶς ἱκανῶς οὐκ ἐνδεῶς*. D *μηδαμόθεν ἄλλοθεν*. 245 A *τειχισαμένῃ δὲ καὶ ναυπηγησαμένῃ, ἐκδεξαμένῃ*. B *ἐθελήσειν* respondere videtur voculae *συμμαχήσειν*. D *Κάδμοι* | *οὐδὲ Αἰγυπτοί τε καὶ Δαναοὶ* | *οὐδὲ ἄλλοι πολλοί*. E *ἐκδόντες· ἐλθόντες*. b) *δυσχωρίᾳ* — *προδοσίᾳ*. 246 A *ξυνεπαινεῖν τε καὶ κοσμεῖν*. D *τελευτήσαντι* respondere videtur voculae *αἰσχύνοντι*, nam *τελ.* supervacaneum est. E *λειπόμενα πάντα καὶ κτήματα καὶ ἐπιτηδεύματα αἰσχρὰ καὶ κακά*. b) *πανουργία, οὐ σοφία*. 247 C *πατέρας δὲ* — *καὶ μητέρας*. b) *παραμυθεῖσθαι* — *γενέσθαι* — *ξυνοδύρεσθαι*. E non inconsulte scripta esse videntur: *λέγεται* — *ἀνήρτηται* — *αἰωρεῖται* — *ἠνάγκασται* — *παρεσκεύασται*, quamvis non respondentibus locis posita sint. 248 B *καὶ πατέρων καὶ μητέρων*. C *κοσμεῖν ἢ θρηνεῖν*. D *κάλλιον καὶ ὀρθότερον καὶ ἡμῖν προσφιλέστερον*. b) *κοσμίως* — *ἀξίως*. E *ἐκείνων* — *τοὺς αὑτῶν* — *ὑπὲρ αὑτῶν, ὡς ἡμῶν* — *γηροτροφησόντων* — *καὶ ἐπιμελησομένων* — *ἐκείνων*. 249 A a) *πατέρες τε καὶ μητέρες*. b) sex participia similiter definita non inconsulte adhibita esse videntur, quamquam non respondentibus locis posita sunt: *κοσμήσασα* — *ἀναμιμνήσκουσα* — *διδοῦσα* — *τιμῶσα* — *ποιοῦσα* — *τιθεῖσα*. c) *ἐπιτηδεύματα ὄργανα*.

2. P a r e c h e s e s [1]), imprimis h o m o e o c a t a r c t a, quae a Dionysio Gorgiae tribuuntur [2]). **§.14.**

Notum est schema, quod exhibetur Plat. Symp. 185 C *Παυσανίου παυσαμένου*. Gorg. Olymp. *κήρυγμα καλεῖ*. — Plat. Gorg. 448 C a) *ἐμπειρία* — *ποιεῖ* — *πορεύεσθαι*. b) *τέχνην* — *τύχην*. Symp. 195 E *καὶ ποσὶ καὶ πάντῃ*. 196 D a) *πᾶσαν ποίησιν*. b) *ποίησιν πάντων*. 197 D *πόθου πατήρ*. E *ἐν μόθῳ ἐν μόγῳ*.

---

[1]) Hermog. de invent. 4, 7: *παρήχησίς ἐστι κάλλος ὁμοίων ὀνομάτων ἐν διαφόρῳ γνώσει ταὐτὸν ἠχούντων*. — [2]) apud Schol. ad Hermog. *περὶ ἰδεῶν*: *τοῖς τε παρίσοις καὶ ὁμοιοτελεύτοις καὶ ὁμοιοκατάρκτοις καλλωπίζων δι' ὅλου πρὸς κόρον τὸν λόγον*.

Menex. 237 A ἀρξαίμεθα ἄνδρας ἀγαθούς. C τελευτήσαντας — τόποις τῆς τεκούσης. D ἀγρίων ἄγονος. E τεκμήριον τούτῳ τῷ λόγῳ, ὅτι ἥδε ἔτεκεν ἡ γῆ τοὺς τῶνδέ τε. b) τὸ τεκὸν τροφὴν — τέκῃ. 238 A γῆς ἢ γυναικός. b) γὰρ γῆ γυναῖκα — γυνὴ γῆν. D τῆς πόλεως τὰ πολλὰ τὸ πλῆθος. E μιᾶς μητρός. 239 A ἰσογονία — ἰσονομίαν. C πρεπόντως τῶν πραξάντων — πρῶτα· Πέρσας. 240 A μεγάλα καὶ μάχιμα. b) προφασιζόμενος, πέμψας — πεντήκοντα — πλοίοις. B ἄρχοντα — ἄγοντα. D a) γενόμενος γνοίη. b) πᾶν πλῆθος καὶ πᾶς πλοῦτος. 241 B καὶ πλήθει καὶ πλούτῳ. C καὶ ἀριθμῷ καὶ ἀρετῇ. D πολλαὶ μὲν πόλεις. E a) ἐποίησαν δείσαντα. b) <πᾶς> πάσῃ τῇ πόλει — πόλεμος. 242 A πράττουσι προσπίπτειν, πρῶτον. B πρῶτοι | μετὰ τὸν Περσικὸν πόλεμον — τῆς πόλεως πρῶτοι. C πολλοῦ πολέμου. D προτέρῳ πολέμῳ τῷ πρός. E περιγενόμενοι τῷ πολέμῳ τοὺς προεστῶτας. 243 B πόλιν πάντας. D πόλις — ποτ' — καταπολεμηθῆναι — πάντων. 244 B ὧν τ' ἐποιήσαμεν ὧν τ' ἐπάθομεν. D πάλαι οὐδὲ πρὸ πολλῶν. 245 B ἀπαγορεύοντας, ἀποστῆναι. 246 D πρὶν — πατέρας καὶ πᾶν τ' πρόσθεν. 247 A πρῶτον καὶ ὕστατον καὶ διὰ παντὸς πᾶσαν πάντως προθυμίαν πειρᾶσθε. B ἄνανδρον, ἀπορίᾳ. D παίδων πατέρες. E ὑπείκοντες δὲ ὑποψίαν. 248 C a) μετρίως μάλιστ'. b) τρέφοντες — τρέποντες. 249 C πᾶσαν πάντων παρὰ πάντα — ποιουμένη.

§. 15. Etiam eiusdem verbi formae aut cognata vocabula iuxta posita, ita ut paria sint, vim parecheticam praebent, cuius generis exempla iam praecedentibus locis immixta esse vidimus.

Gorg. Epit. a) τὸ δέον ἐν τῷ δέοντι. b) ὑβρισταὶ εἰς τοὺς ὑβριστάς. c) κόσμιοι εἰς τοὺς κοσμίους. d) ἄφοβοι εἰς τοὺς ἀφόβους. e) δεινοὶ ἐν τοῖς δεινοῖς. f) ἀσωμάτοις σώμασι. g) ζῇ οὐ ζώντων. Plat. Gorg. 448 C a) ἐμπειριῶν ἐμπείρως. b) ἄλλοι ἄλλων ἄλλως. c) τῶν δὲ ἀρίστων οἱ ἄριστοι. Symp. 195 B a) φεύγων φυγῇ. b) ὅμοιον ὁμοίῳ. 196 C a) ποιῶν ποιεῖ. b) ἑκὼν ἑκόντι, alia plurima.

Menex. 237 B προγόνων γένεσις. 238 E ἡμεῖς δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι. 239 B a) Ἕλλησιν ὑπὲρ Ἑλλήνων. b) ὡς ἠμύναντο καὶ ὡς ἤμυναν. C a) ταῦτα μὲν οὖν διὰ ταῦτα. b) ἀξίαν ἐπ' ἀξίοις. 240 B ἐκ θαλάττης εἰς θάλατταν. 242 B πόλεμον πολε-

μήσαντες. 243 C *τύχης τυχόντες* D *ἡμεῖς δὲ αὐτοὶ ἡμᾶς αὐτούς.* 245 A *αὐτοὶ αὐτούς.* D *ἔργον ἐργάσασθαι.* 246 D *οὔτ' ἐπὶ γῆς οὔθ' ὑπὸ γῆς.* 247 B a) *γονέων ἐκγόνοις.* b) *χρῆσθαι δὲ καὶ χρημάτων.* C *φίλοι παρὰ φίλους.* E a) *ἢ μὴ ἡμέτεροι εἶναι ἢ ἡμῶν.* b) *τῷ ὄντι πατέρας ὄντας.* c) *ἄνδρας ἀνδρῶν.* 248 B *ἡμᾶς ἡμῖν.* D *τοῖς ἡμετέροις παρ' ἡμῶν.* E *ἕκαστος ἑκάστῳ.* 249 A *αὐτοῖς αὐτῇ.* C *θεραπεύειν τε καὶ θεραπεύεσθαι.*

Similem vim habet illud iterationis genus, quo duo enuntiata aut membra ita coniunguntur, ut prius in idem verbum desinat, quo alterum incipit (epanastrophe Hermog. p. 286). — Gorg. Epit. *ἃ βούλομαι, βουλοίμην δέ.* Frgm. 19: *ὡς χρῷτο, ἐχρῆτο δέ.* Plat. Symp. 196 C *κρατοῖ, κρατῶν δέ.*

Menex. 239 D *οἱ τῆςδε τῆς χώρας ἔκγονοι, γονεῖς δὲ ἡμέτεροι.* 240 A *ναυσί, ναῦς δέ.* 242 A *πρῶτον μὲν ζῆλος, ἀπὸ ζήλου δέ.* 246 D *ἐξὸν ζῆν μὴ καλῶς, καλῶς αἱρούμεθα — τελευτᾶν.* E *ἐὰν — ἀσκῆτε, ἀσκεῖν.*

3. Paronomasia. Frequenter invenitur in Menexeno id genus paronomasiae, quod continetur ludibundo usu eiusdem verbi aut vocabulorum cognatorum [1]). §. 16.

α) Ac primum talis paronomasia adhibetur, ut coniunctio, progressus, confirmatio sententiarum et enuntiatorum efficiatur. — Gorg. Epit. *προσεῖναι; τί δὲ καὶ προσῆν.* Frgm. 19: *χρήματα ἐκτᾶτο μὲν ὡς χρῷτο.* Plat. Gorg. 456 C *ὁπότερον δεῖ αἱρεθῆναι — ἀλλ' αἱρεθῆναι ἄν.* 457 B *ἐπὶ δικαίᾳ χρείᾳ* —, *ὁ δ' ἐναντίως χρῆται. τὸν οὖν οὐκ ὀρθῶς χρώμενον.* 473 C *ληφθῇ τυραννίδι ἐπιβουλεύων καὶ ληφθείς.* Symp. 194 E *εἰπεῖν ὡς χρή με εἰπεῖν, ἔπειτα εἰπεῖν.*

Menex. 236 D sqq. progressus sententiarum continetur verbo *λόγος*: *λόγῳ δέ — λόγῳ καλῶς ῥηθέντι — δεῖ δὴ τοιούτου λόγου — τίς οὖν τοιοῦτος λόγος φανείη.* E *πραχθέντων — τοῖς πράξασι.* 237 A a) *κατὰ φύσιν — διὰ τὸ φῦναι.* b) *τὴν εὐγένειαν — τῆς δ' εὐγενείας — γένεσις.* C *δικαιότατον κοσμῆσαι — οὕτω γὰρ συμβαίνει — κοσμουμένη.* D *ἣν — ἐπήνεσαν, πῶς οὐχ — δικαία ἐπαινεῖσθαι; δεύτερος δὲ ἔπαινος.* E *τὸ τεκόν — ᾧ ἂν τέκῃ.* 238 C *πολιτεία γὰρ τροφὴ ἀνθρώπων ἐστί, καλὴ μὲν ἀγα-*

---

[1]) Describitur a Blassio I, 131.

θῶν — ὡς οὖν ἐν καλῇ πολιτείᾳ ἐτράφησαν — δι' ἣν δὴ κἀκεῖνοι ἀγαθοί. D *τάς τε ἀρχὰς δίδωσι καὶ τὸ κράτος — κρατεῖ καὶ ἄρχει.* 239 A *ἀδελφοὶ φύντες — ἀλλ' ἡ ἰσογονία ἡ κατὰ φύσιν.* 242 B a) *μαχόμενοι, ἀμφισβητησίμου δὲ τῆς μάχης.* b) *ἐλευθερίας βοηθοῦντες — καὶ ἐλευθερώσαντες, οἷς ἐβοήθουν.* 243 A *ἔπλευσαν — διὰ δὲ μῆκος τοῦ πλοῦ.* D *δόξαν ἔσχε — καὶ ἀληθῆ ἔδοξε.* 244 A *χρὴ — διαλλάττειν —, ἐπειδὴ διηλλάγμεθα.* C *διανοουμένη — ἡμῶν οὖν ἐν τοιαύτῃ διανοίᾳ ὄντων.* E *εἴ τις βούλοιτο — κατηγορῆσαι δικαίως — ὀρθῶς ἂν κατηγοροίη.* 245 B *ἐκδεξαμένη τὸν πόλεμον, ἐπειδὴ ἠναγκάσθη πολεμεῖν, ὑπὲρ Παρίων ἐπολέμει.* E *ἀπηλλάγημεν — οὕτως — ἀπηλλάττοντο καί.* 246 D *πρὶν — αἰσχῦναι, ἡγούμενοι τῷ αἰσχύνοντι.* E *οὔτε πλοῦτος κάλλος — οὔτε σώματος κάλλος.* 247 A *ἂν μὲν νικῶμεν- μάλιστα δ' ἂν νικῴμεθα καὶ ὑμεῖς νικῴητε.* D *φέροντες ἀνδρείως — τῷ ὄντι ἀνδρείων.* E *τὸ — λεγόμενον καλῶς δοκεῖ λέγεσθαι. τῷ γὰρ ὄντι εὖ λέγεται.* 248 B *οὐ — χαριοῦνται — οὕτως ἀχάριστοι εἶεν ἂν — κούφως δὲ — μάλιστ' ἂν χαρίζοιντο.* E *ἐπέσκηπτον ἀπαγγέλλειν καὶ ἐγὼ — ἀπαγγέλλω.*

§. 17. *β*) Vis epexegetica cernitur in paronomasiae exemplis quae sequuntur: Plat. Symp. 196 B *πάσχει εἴ τι πάσχει.*

Menex. 237 E *τροφὴν — ἤνεγκε — καρπόν, ᾧ — τρέφεται.* 238 C *ἡ πολιτεία —, ἐν ᾗ — πολιτευόμεθα.* 244 A *εὐχαῖς — εὐχομένους.* 247 A *ἂν μὲν νικῶμεν —, ἡ νίκη — ἡ δὲ ἧττα, ἐὰν ἡττώμεθα.* 248 E *τὴν ἐπιμέλειαν, ὅτι — ἐπιμελεῖται.*

γ) Hoc loco liceat exempla afferre figurae quae dicitur etymologicae. Plat. Gorg. 473 C *λώβας — λωβηθείς.* Cf. Symp. 197 D *ξυνόδους — ξυνιέναι.*

Menex. 236 D *πορεύονται — πορείαν.* 242 D *πόλεμον πολεμήσαντες.* 243 E *πόλεμος — ἐπολεμήθη.* 245 D *ἔργον ἐργάσασθαι.* 247 C *φέρειν τὴν ξυμφοράν.* D *φέροντες — τὰς συμφοράς.* 248 C *φέροντες τὰς συμφοράς.* 249 C *φέρειν τὴν ξυμφοράν.*

§. 18. *δ*) Vis oppositionis cernitur in his paronomasiae exemplis: Gorg. Epit. a) *τί γὰρ ἀπῆν — τί δὲ καὶ προσῆν.* b) *τῶν ἀδίκως δυστυχούντων — τῶν ἀδίκως εὐτυχούντων.* c) *τῷ φρονίμῳ — τὸ ἄφρον.* d) *ἀποθανόντων ὁ πόθος οὐ συναπέθανεν, ἀλλ' ἀθάνατος.* e) *οὐκ*

ἀσωμάτοις σώμασι. f) ζῇ οὐ ζώντων. Plat. Gorg. 448 C ἐμπειρία — ἀπειρία. 456 B οὐ δυναμένου πεῖσαι, ἐγὼ ἔπεισα.

Menex. 237 A οἱ ζῶντες — εὔφραινον — καὶ τὴν τελευτὴν ἀντὶ τῆς τῶν ζώντων. 237 B a) οὐδὲ — μετοικοῦντας — ἀλλ' — οἰκοῦντας. b) οὐχ ὑπὸ μητρυιᾶς — ἀλλ' ὑπὸ μητρός. D ἔφυε — θηρία — θηρίων μὲν ἀγρίων ἄγονος. 238 E ἔνιοι μὲν δούλους, οἱ δὲ δεσπότας ἀλλήλους νομίζοντες. ἡμεῖς δὲ — οὐκ ἀξιοῦμεν δοῦλοι οὐδὲ δεσπόται ἀλλήλων εἶναι. 242 B τοὺς ἀδίκως φεύγοντας δικαίως κατήγαγον. D εἴ τις ἠμφισβήτει — οὐκ ἀληθῆ ἀμφισβητοῖεν. E ἐνίκων κοινῇ, τούτους νικῶντες ἰδίᾳ. 243 D ἀήττητοι — ἡττήθημεν. 244 B ὅτι παθόντες ὑπ' αὐτῆς κακῶς — ὡς εὖ παθόντες· ὑπ' αὐτῆς. E τὸ μηδενὶ — βοηθεῖν — ἀλλὰ — ἐβοήθησε. 245 A οὐκ ἐτόλμησε βοηθῆσαι — φυγάδας δέ — ἐάσασα μόνον βοηθῆσαι. C ἠθέλησαν — ἐκδιδόναι — καὶ ὤμοσαν — ἡμεῖς οὐκ ἐτολμήσαμεν οὔτε ἐκδοῦναι οὔτε ὀμόσαι. D οὐ γὰρ Πέλοπες — συνοικοῦσιν ἡμῖν, ἀλλ' αὐτοὶ — οἰκοῦμεν. 246 D ἐξὸν ζῆν μὴ καλῶς, καλῶς αἱρούμεθα. E οὔτε — πρέποντα φαίνεται, ἀλλ' ἀπρεπῆ. 247 B παρέχειν ἑαυτὸν τιμώμενον μὴ δι' ἑαυτόν. 248 D παρεκελευόμεθ' ἄν, ὅπως — ἐπιμελήσονται — καὶ ἐὰν μὴ — παρακελευώμεθα, ἱκανῶς ἐπιμελήσεται.

ε) Praeterea ludibundae eiusdem verbi repetitionis haec inveniuntur exempla: **§. 19.**

αα) simplex verbum repetitur: cf. Symp. 195 A παντὸς ἐπαίνου περὶ παντός.

Menex. 237 E ἔτεκεν — τεκὸν — τέκῃ — τεκοῦσα. 239 C τὴν ἀξίαν — δόξαν ἀξίαν ἐπ' ἀξίοις. D τοὺς αὐτοῦ πολίτας τῷ αὐτοῦ φρονήματι. 244 D ἀφίκοντο — ἀφικέσθαι. E βοηθεῖν — ἐβοήθησε — βοηθήσασα — βοηθῆσαι — βοηθῆσαι. 247 B τιμάς — θησαυρός — τιμῶν θησαυρῷ. 249 A αὐτὴ — αὐτοῖς αὐτή. B αὐτοὺς δὲ τούς — αὐτή. b) ἰδίᾳ — ἴδια.

ββ) Simplex et compositum alterna adhibentur aut variant composita: Gorg. Epit. ἀπῆν — προσεῖναι. b) δυστυχούντων — εὐτυχούντων. c) ἀποθανόντων — συναπέθανεν. Sympos. 195 B ξύνεστί τε καὶ ἔστιν. 196 A καὶ εἰσιὼν — καὶ ἐξιών. b) ἐνίζει — καὶ ἵζει, alia multa.

Menex. Exempla commemorata sunt: 237 B. 242 B. 243 D. 246 E. 248 B sq. Accedunt 240 A δεδουλωμέναι — καταδεδου-

λωμένῃ. 244 C *περιελόμενοι — καθελόντες*. 245 D *συνοικοῦσιν οἰκοῦμεν*. 246 B *παρακελεύομαι — διακελεύσομαι*. E *φαίνεται — ἐκφαίνει*.

γγ) Genera verbi alterna adhibentur cf. Sympos. 196 B *οὔτ' ἀδικεῖ οὔτ' ἀδικεῖται*. D *ὁ ἔχων τοῦ ἐχομένου*.

Menex. Exempla commemorata sunt: 237 C. D. 239 B. 240 A. 244 A. 247 A. 249 C. Accedit 249 B *ἄρχεσθαι — ἄρξοντα*.

§. 20. *ζ*) Cetera exempla ludibundi vocabulorum cognatorum usus sunt haec: Cf. Gorg. Epit. *ἀποθανόντων — συναπέθανεν — ἀθάνατος*. Symp. 196 A. *ἀνανθεῖ καὶ ἀπηνθηκότι — εὐανθής*.

Menex. 237 B *εὐγενείας — προγόνων γένεσις — ἐκγόνοις*. b) *μετοικοῦντας — οἰκοῦντας — ᾤκουν — οἰκείοις*. D sqq. *ἄγονος — ἐγέννησεν — προγόνους — γεννωμένῳ — γεννησαμένη — γένος — γεννησαμένη — γεννήσει — γένεσιν — ἐκγόνοις*. 239 A *ἰσονομίαν — κατὰ νόμον*. C *ἐν μνηστείᾳ — ἐπιμνησθῆναι — προμνώμενον*, quem in locum propter lusum aliquid obscuri irrepsisse videtur. D sq. *ἐδούλευε — ἐδουλώσατο — δεδουλωμέναι — καταδεδουλωμένη*. 241 B *μαχεσαμένων καὶ — ναυμαχησάντων*. 243 A *πολλοὶ — πλεῖστα*. 245 A *ἀπελύσατο δουλείας — μέχρι οὗ — αὐτοὺς ἐδουλώσαντο*. B *συμμαχήσειν — συμμάχοις*. 246 E *φαίνεται — ἐπιφανέστερον — ἐκφαίνει — φαίνεται*. 248 B *χαριοῦνται — ἀχάριστοι — χαρίζοιντο*. 249 B *πατρὸς — πατρῴας*.

b. Parisa.

§. 21. Referta hoc schemate sunt fragmenta Gorgiae. Exempli autem gratia afferantur haec: Gorg. Epit. a) *λαθὼν μὲν τὴν θείαν νέμεσιν, | φυγὼν δὲ τὸν ἀνθρώπινον φθόνον*. b) *θεράποντες μὲν τῶν ἀδίκως δυστυχούντων, | κολασταὶ δὲ τῶν ἀδίκως εὐτυχούντων*. c) *οὔτε ἐμφύτου Ἄρεος οὔτε νομίμων Ἐρώτων | οὔτε ἐνοπλίου Ἔριδος οὔτε φιλοκάλου Εἰρήνης*. Olymp. a) *τόλμης μὲν τὸν κίνδυνον ὑπομεῖναι, | σοφίας δὲ τὰ αἴσιμα γνῶναι*. b) *καλεῖ μὲν τὸν βουλόμενον, | στεφανοῖ δὲ τὸν δυνάμενον*.

Menex. 1. Exempla accurato verborum respondentium ordine insignia: 236 D *κοινῇ μὲν ὑπὸ τῆς πόλεως, | ἰδίᾳ δὲ ὑπὸ τῶν οἰκείων*. E a) *ἔργων εὖ πραχθέντων | λόγῳ καλῶς ῥηθέντι*[1]).

---

[1]) Dion. de adm. vi dic. in Dem. c. 26. p. 1033.

b) τοὺς μὲν τετελευτηκότας ἱκανῶς ἐπαινέσεται, | τοῖς δὲ ζῶσιν εὐμενῶς παραινέσεται [1]). 237 C πολλαχῇ μὲν καὶ ἄλλῃ, | πρῶτον δὲ καὶ μέγιστον. 238 B πρός τε τὴν καθ' ἡμέραν δίαιταν τέχνας πρώτους παιδευσάμενοι | καὶ πρὸς τὴν ὑπὲρ τῆς χώρας φυλακὴν ὅπλων κτῆσίν τε καὶ χρῆσιν διδαξάμενοι. C καλὴ μὲν ἀγαθῶν | ἡ δ' ἐναντία κακῶν. 239 B Ἀργείοις πρὸς Καδμείους | καὶ Ἡρακλείδαις πρὸς Ἀργείους. D ἡγουμένους τῆς Ἀσίας | καὶ δουλουμένους τὴν Εὐρώπην. 241 B a) καὶ πλήθει καὶ πλούτῳ | καὶ τέχνῃ καὶ ῥώμῃ. b) τῶν τε Μαραθῶνι μαχεσαμένων | καὶ τῶν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχησάντων. C ὑπὸ μὲν τῶν κατὰ γῆν | ὑπὸ δὲ τῶν κατὰ θάλατταν. E οἵ τε ἐπ' Εὐρυμέδοντι ναυμαχήσαντες | καὶ οἱ εἰς Κύπρον στρατεύσαντες | καὶ οἱ εἰς Αἴγυπτον πλεύσαντες. 242 A εἰρήνης δὲ γενομένης | καὶ τῆς πόλεως τιμωμένης. 243 C νικήσαντες μὲν τοὺς πολεμίους, | λυσάμενοι δὲ τοὺς φιλίους. D οὐ μόνον τὴν τότε ναυμαχίαν, | ἀλλὰ καὶ τὸν ἄλλον πόλεμον. 244 B ὧν τ' ἐποιήσαμεν ὧν τ' ἐπάθομεν. 246 D πρὶν ὑμᾶς τε καὶ τοὺς ἔπειτα εἰς ὀνείδη καταστῆσαι | καὶ πρὶν τοὺς ἡμετέρους πατέρας καὶ πᾶν τὸ πρόσθεν γένος αἰσχῦναι. 248 D τοὺς μὲν παιδεύοντες κοσμίως, | τοὺς δὲ γηροτροφοῦντες ἀξίως. E τῶν μὲν μιμεῖσθαι τοὺς αὐτῶν, | τῶν δὲ θαρρεῖν ὑπὲρ αὐτῶν.

2. Accedunt loci nonnulli, in quibus quamquam ordo verborum non aeque accurate observatur, tamen aliquid παρισώσεως videtur inesse: **§. 22.**

Menex. 236 E ἐκγόνοις μὲν καὶ ἀδελφοῖς — παρακελευόμενος, | πατέρας δὲ καὶ μητέρας — παραμυθούμενος. 239 A ἡ ἰσογονία ἡμᾶς ἡ κατὰ φύσιν | ἰσονομίαν ἀναγκάζει ζητεῖν κατὰ νόμον. B καὶ Ἕλλησιν ὑπὲρ Ἑλλήνων μάχεσθαι | καὶ βαρβάροις ὑπὲρ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων. E καὶ τοὺς δεσπότας Μήδους ἐδουλώσατο | καὶ τῆς ἄλλης Ἀσίας μέχρι Αἰγύπτου ἦρξεν. 240 D δεξάμενοι τὴν τῶν βαρβάρων δύναμιν | καὶ κολασάμενοι τὴν ὑπερηφανίαν ὅλης τῆς Ἀσίας | καὶ πρῶτοι στήσαντες τρόπαια τῶν βαρβάρων. Similiter participia in initio membrorum posita sunt: 243 C οἰομένων γὰρ ἤδη αὐτὴν καταπεπολεμῆσθαι | καὶ ἀπειλημμένων ἐν Μυτιλήνῃ τῶν νεῶν | βοηθήσαντες ἑξήκοντα ναυσίν, | αὐτοὶ ἐμβάντες εἰς τὰς ναῦς. 244 B τοῖς μὲν βαρβάροις συγγιγ-

[1]) Dion. l. c. p. 1035.

νώσκουσα, ὅτι παθόντες ὑπ᾽ αὐτῆς κακῶς ἱκανῶς οὐκ ἐνδεῶς ἠμύναντο, | *τοῖς δὲ Ἕλλησιν ἀγανακτοῦσα, μεμνημένη, ὡς εὖ παθόντες ὑπ᾽ αὐτῆς οἵαν χάριν ἀπέδοσαν.* C *τάς τε ναῦς περιελόμενοι αἵ ποτ᾽ ἐκείνους ἔσωσαν,* | *καὶ τείχη καθελόντες ἀνθ᾽ ὧν ἡμεῖς τἀκείνων ἐκωλύσαμεν πεσεῖν.* 246 A *πολλὰ μὲν τὰ εἰρημένα καὶ καλά,* | *πολὺ δ᾽ἔτι πλείω καὶ καλλίω τὰ ὑπολειπόμενα.*

c. Antitheta.

§. 23. Per omnem fere orationem enuntiatorum structuram eam esse, ut bina membra opponantur, facile intellegi potest.

1. Ac primum id genus antithetorum considerandum est, quo proposita aliqua res vel notio in duas partes dividitur. Gorg. Epit. a) *δισσὰ ἀσκήσαντες — γνώμην, τὴν μὲν βουλεύοντες, τὴν δὲ ἀποτελοῦντες* b) *ἐκέκτηντο ἔνθεον μὲν τὴν ἀρετήν, ἀνθρώπινον δὲ τὸ θνητόν.* c) *τροπαῖα ἐστήσαντο τῶν πολεμίων, Διὸς μὲν ἀγάλματα, τούτων δὲ ἀναθήματα.* Olymp. *τόλμης καὶ σοφίας· τόλμης μὲν — σοφίας δὲ.*

Menex. 236 D *προπεμφθέντες κοινῇ μὲν — ἰδίᾳ δέ.* 237 D *ζῶα παντοδαπά, θηρία τε καὶ βοτά.* 238 C *πολιτεία — ἐστί, καλὴ μὲν — ἡ δ᾽ἐναντία.* E a) *αἱ πολιτεῖαι, τυραννίδες τε καὶ ὀλιγαρχίαι.* b) *οἰκοῦσιν ἔνιοι μὲν — οἱ δέ.* 239 A *εἰς πάντας ἀνθρώπους καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ.* B *ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας* | *καὶ Ἕλλησιν ὑπέρ — καὶ βαρβάροις ὑπέρ.* 240 C *τούτων δὲ τῶν μὲν πραχθέντων, τῶν δ᾽ἐπιχειρουμένων.* 241 A *πολλὰ μὲν ἄν τις ἔχοι διελθεῖν, καὶ οἷα ἐπιόντα — καὶ ὡς ἠμύναντο ταῦτα.* B *ὑπ᾽ ἀμφοτέρων — τῶν τε Μαραθῶνι μαχεσαμένων καὶ τῶν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχησάντων — ὑπὸ μὲν τῶν κατὰ γῆν, ὑπὸ δὲ τῶν κατὰ θάλατταν,* quo loco etiam participia addita *μαθόντας καὶ ἐθισθέντας* in alterutram partem distribuenda sunt. E *ἦσαν δὲ οὗτοι οἵ τε ἐπ᾽ Εὐρυμέδοντι — καὶ οἱ εἰς Κύπρον — καὶ οἱ εἰς Αἴγυπτον — καὶ ἄλλοσε πολλαχόσε.* 242 A *ἦλθεν ἐπ᾽ αὐτήν, ὃ δὴ φιλεῖ — πρῶτον μὲν ζῆλος, ἀπὸ ζήλου δὲ φθόνος.* E *πολλοὶ — κεῖνται, πολλοὶ μὲν —, πολλοὶ δέ.* 245 D *ἄλλοι πολλοὶ φύσει μὲν βάρβαροι ὄντες, νόμῳ δὲ Ἕλληνες.* 246 A *τὰ ἔργα — πολλὰ μὲν τὰ εἰρημένα καὶ καλά, πολὺ δ᾽ἔτι — τὰ ὑπολειπόμενα.* 248 D

καὶ πατέρων καὶ υἱέων ἐπιμελήσονται, τοὺς μὲν παιδεύοντες —, τοὺς δὲ γηροτροφοῦντες [1]).

2. Jam exempla eius oppositionis colligenda sunt, quae efficitur §. 24.
negatione alterutri membro adiecta. Gorg. Epit. a) *ὧν δεῖ ἀνδράσι προσεῖναι — ὧν οὐ δεῖ προσεῖναι.* b) *αὐτῶν ἀποθανόντων ὁ πόθος οὐ συναπέθανεν, ἀλλ' ἀθάνατος οὐκ ἀσωμάτοις σώμασι ζῇ οὐ ζώντων.* Plat. Gorg. 452 E *οὗτος ἄλλῳ ἀναφανήσεται χρηματιζόμενος καὶ οὐχ αὑτῷ.* 456 B *οὐ δυναμένου πεῖσαι, ἐγὼ ἔπεισα.* b) *οὐκ ἄλλῃ τέχνῃ ἢ τῇ ῥητορικῇ.* C *οὐδαμοῦ ἂν φανῆναι τὸν ἰατρόν, ἀλλ' αἱρεθῆναι ἂν τὸν εἰπεῖν δυνατόν.* E *ἀμυνομένους, μὴ ὑπάρχοντας.* 457 A *οὔκουν οἱ διδάξαντες πονηροί — ἀλλ' οἱ μὴ χρώμενοι ὀρθῶς.* B *ἀλλ' οὐδέν τι μᾶλλον — οὔτε ἀφαιρεῖσθαι — οὔτε τοὺς ἄλλους δημιουργούς, ἀλλὰ δικαίως — χρῆσθαι.* C *τὸν οὖν οὐκ ὀρθῶς χρώμενον — ἀλλ' οὐ τὸν διδάξαντα.* Frequens qui est hoc loco usus negationis oppositionis causa adhibitae ad imitationem pertinere videtur, de quo cf. 456 D *οὐ τούτου ἕνεκα*, quae verba quinquies repetuntur.

Menex. a) prius membrum negativum est: 237 B *οὐκ ἔπηλυς οὖσα οὐδὲ τοὺς ἐκγόνους — ἀποφηναμένη μετοικοῦντας — ἀλλ' αὐτόχθονας καὶ — οἰκοῦντας.* b) *οὐχ ὑπὸ μητρυιᾶς, ἀλλ' ὑπὸ μητρός.* 238 A *οὐ γῆ γυναῖκα — ἀλλὰ γυνὴ γῆν.* b) *οὐκ ἐφθόνησεν, ἀλλ' ἔνειμε.* D *οὔτε ἀσθενείᾳ — ἀλλὰ εἷς ὅρος.* 239 A *οὐκ ἀξιοῦμεν — ἀλλ' ἡ ἰσογονία.* b) *μηδενὶ ἄλλῳ — ἤ.* 240 D *οὐκ ἄμαχος — ἀλλὰ πᾶν πλῆθος.* E *οὐ μόνον τῶν σωμάτων — ἀλλὰ καὶ τῆς ἐλευθερίας.* 243 D *οὐ μόνον τὴν τότε ναυμαχίαν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἄλλον πόλεμον.* 244 A a) *οὐδὲν ἄλλο αἴτιον ἤ.* b) *οὐ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ,* c) *οὐ κακίᾳ — ἀλλὰ δυστυχίᾳ.* D *μηδαμόθεν ἄλλοθεν ἀλλ' ἤ.* E *οὐχ οἷά τε ἐγένετο — ἀλλὰ ἐκάμφθη.* 245 A *οὐκ ἐτόλμησε — φυγάδας δέ.* D *οὐ γὰρ Πέλοπες — συνοικοῦσιν ἡμῖν, ἀλλ' αὐτοὶ Ἕλληνες — οἰκοῦμεν*, cui enuntiato praeterea tria contraria addita sunt, nam Pelopibus et Cadmis ex Oriente ortis opponuntur *Αἰγύπτιοί τε καὶ Δαναοί*, qui ad meridiem spectant, tum opposita sunt membra *φύσει μὲν βάρβαροι ὄντες,*

[1]) Divisionem sine expressa oppositione loci exhibent qui sequuntur: 238 B *κατεσκεύασαν πρός τε — παιδευσάμενοι καὶ — διδαξάμενοι.* 244 A *ᾧ δυνάμεθα, εὐχαῖς καὶ θυσίαις.* 245 E *ἀνδρῶν ἀγαθῶν — τῶν τε ἐν Κορίνθῳ χρησαμένων δυσχωρίᾳ καὶ ἐν Λεχαίῳ προδοσίᾳ.*

νόμῳ δὲ Ἕλληνες, denique opponuntur Ἕλληνες, οὐ μιξοβάρβαροι. 246 D ἐξὸν ζῆν μὴ καλῶς, καλῶς αἱρούμεθα. E οὔτε σώματος κάλλος — πρέποντα φαίνεται, ἀλλ' ἀπρεπῆ. 247 B a) οὐκ ἔστιν αἴσχιον οὐδὲν ἢ παρέχειν ἑαυτὸν τιμώμενον b) μὴ δι' ἑαυτόν, ἀλλὰ διὰ δόξαν. D οὐ γὰρ ἀθανάτους — ἀλλ' ἀγαθούς. E a) ἢ μὴ ἡμέτεροι εἶναι ἢ ἡμῶν τοὺς ἐπαινοῦντας καταψεύδεσθαι. b) οὐδέτερα τούτων —. ἀλλ' ἐκείνους.

β) posterius membrum negativum est: 237 C ὑπὸ πάντων — οὐ μόνον ὑφ' ἡμῶν. 238 E οἰκοῦσιν οὖν ἔνιοι μὲν δούλους, οἱ δὲ δεσπότας ἀλλήλους νομίζοντες· ἡμεῖς δὲ — οὐκ ἀξιοῦμεν δοῦλοι οὐδὲ δεσπόται ἀλλήλων εἶναι· 240 B εὐδοκιμώτατοι (Hirschig) — καὶ οὐκ ὀλίγοι. 241 E τῇ ἑαυτοῦ σωτηρίᾳ τὸν νοῦν προσέχειν, ἀλλὰ μὴ τῇ τῶν Ἑλλήνων ἐπιβουλεύειν φθορᾷ. 242 D a) πολεμεῖν, καὶ μὴ — διολλύναι, quod contrarium immixtum est antithetis voculis μὲν et δὲ effectis. b) εἴ τις ἠμφεσβήτει — ὅτι οὐκ ἀληθῆ ἀμφισβητοῖεν. 243 A καταστάσης καὶ οὐ δυναμένης. D τῇ ἡμετέρᾳ διαφορᾷ —, οὐχ ὑπὸ τῶν ἄλλων. 244 B παθόντες ὑπ' αὐτῆς κακῶς ἱκανῶς οὐκ ἐνδεῶς ἠμύναντο, quod contrarium additum est priori membro antithetorum voculis μὲν et δὲ effectorum. 245 C ἠθέλησαν — ἐκδιδόναι καὶ ξυνέθεντο καὶ ὤμοσαν — μόνοι δὲ ἡμεῖς οὐκ ἐτολμήσαμεν οὔτε ἐκδοῦναι οὔτε ὀμόσαι. 246 E a) ἄλλῳ γὰρ ὁ τοιοῦτος πλουτεῖ καὶ οὐχ ἑαυτῷ. b) πανουργία, οὐ σοφία. 247 B χρῆσθαι — καὶ μὴ — παραδιδόναι. C φίλοι — ἀφίξεσθε — ἀμελήσαντας δὲ — οὐδεὶς ὑποδέξεται. E ἀνήρτηται — καὶ μὴ — αἰωρεῖται. 248 D τῇ δὲ πόλει παρεκελευόμεθ' ἄν, ὅπως ἐπιμελήσονται — νῦν δὲ ἴσμεν, ὅτι καὶ ἐὰν μὴ ἡμεῖς παρακελευώμεθα, ἱκανῶς ἐπιμελήσεται.

γ) Tria membra componuntur, quorum unum negativum est: 237 E τεκοῦσά τε ἀληθῶς καὶ μή, ἀλλ' ὑποβαλλομένη. 245 A τοὺς μὲν Ἕλληνας αὐτὴ βοηθήσασα ἀπελύσατο δουλείας —, βασιλεῖ δὲ αὐτὴ μὲν οὐκ ἐτόλμησε βοηθῆσαι —, φυγάδας δὲ καὶ ἐθελοντὰς ἐάσασα μόνον βοηθῆσαι — ἔσωσε. 247 C χρὴ παραμυθεῖσθαι — καὶ μὴ ξυνοδύρεσθαι — ἀλλ' — ἀναμιμνήσκειν. 248 B οὐ θρηνοῦντες — χαριοῦνται, ἀλλ' εἰ — ἀχάριστοι εἶεν ἂν μάλιστα — βαρέως φέροντες τὰς συμφοράς· κούφως δὲ — μάλιστ' ἂν χαρίζοιντο.

§. 25. 3. Porro multa exempla inveniuntur eius contrarii, quo diversae partes aut enuntiati aut membri opponuntur: Gorg. Epit. τί

γὰρ ἀπῆν —, ὧν δεῖ ἀνδράσι προσεῖναι. b) τὸ πρᾷον ἐπιεικὲς τοῦ αὐθάδους δικαίου προκρίνοντες. c) τῷ φρονίμῳ τῆς γνώμης παύοντες τὸ ἄφρον <τῆς ῥώμης>. Plat. Gorg. 456 B οὐ δυναμένου — πεῖσαι, ἐγὼ ἔπεισα. Sympos. 195 B πολλὰ ἄλλα ὁμολογῶν τοῦτο οὐχ ὁμολογῶ.

Menex. 236 E τοῖς πράξασι — παρὰ τῶν ἀκουσάντων. 237 A τὴν τελευτὴν ἀντὶ τῆς τῶν ζώντων σωτηρίας. D ἣν δὲ θεοὶ ἐπῄνεσαν, πῶς οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων — ἐπαινεῖσθαι. b) ἐν ᾧ ἡ πᾶσα γῆ ἀνεδίδου — βοτά, ἐν τούτῳ ἡ ἡμετέρα θηρίων — ἄγονος καὶ καθαρὰ ἐφάνη. 239 A ἡ ἰσογονία ἡ κατὰ φύσιν ἰσονομίαν ἀναγκάζει ζητεῖν κατὰ νόμον. 239 D ἐλευθερώσας — ἐδουλώσατο. E τοὺς δεσπότας — ἐδουλώσατο. 241 B ὀλίγοις πολλούς. 242 B a) καταλιπόντες, οἷς ἐβοήθουν. b) τοὺς ἀδίκως φεύγοντας δικαίως κατήγαγον. c) Ἕλλησιν — πρὸς Ἕλληνας. C ἐξὸν διαφθεῖραι, ἐφείσαντο. D δι' ὀργὴν ἰδίαν πόλεως τὸ κοινὸν τῶν Ἑλλήνων διολλύναι. E a) τοὺς προεστῶτας — χειρωσάμενοι. b) μεθ' ὧν τοὺς βαρβάρους ἐνίκων κοινῇ, τούτους νικῶντες ἰδίᾳ. 243 A μιᾷ — πάσας, quo loco posteriori parti statim opponitur: πολλὰς δὲ καὶ ἄλλας νικήσαντες, quibus verbis sententia perverti videtur. B a) τῷ ἐχθίστῳ ἐπικηρυκεύσασθαι. b) ὃν κοινῇ ἐξέβαλον —, ἰδίᾳ τοῦτον ἐπάγεσθαι. c) βάρβαρον ἐφ' Ἕλληνας. d) ἐπὶ τὴν πόλιν πάντας Ἕλληνάς τε καὶ βαρβάρους. 244 B εὖ παθόντες — οἵαν χάριν ἀπέδοσαν. C a) τὰς ναῦς περιελόμενοι, αἵ — ἔσωσαν. b) τείχη καθελόντες, ἀνθ' ὧν — ἐκωλύσαμεν πεσεῖν. D σωτηρίαν — ἐκ ταύτης τῆς πόλεως, ἣν πρόσθεν ἀπώλλυ. 245 A ἐλευθέρους εἶναι, μέχρι οὗ — κατεδουλώσαντο. D Ἕλληνας βαρβάροις ἐκδόντες. 246 D ἐξὸν ζῆν μὴ καλῶς, καλῶς αἱρούμεθα μᾶλλον τελευτᾶν. E ἐάν τι καὶ ἄλλο ἀσκῆτε, ἀσκεῖν μετ' ἀρετῆς. 247 E ἐπαινέτας εἶναι ἔργῳ. 248 B τοῖς τετελευτηκόσιν αἴσθησις τῶν ζώντων. 249 B ποιοῦσα κοινῇ πᾶσιν, ἅπερ ἰδίᾳ ἑκάστῳ ἴδια γίγνεται.

4. Denique exempla eius contrarii afferantur, quo partes ex §. 26.
aequo positae eaedemque affirmativae aut enuntiati aut membri opponuntur. Cuius generis specimina e fragmentis Gorgieis addere liceat supersedere, cum illa referta esse hoc schemate facile intellegi possit.

Menex. 236 D ἔργῳ μὲν — λόγῳ δέ; priori membro additum est contrarium κοινῇ μὲν — ἰδίᾳ δέ; posteriori ὅ τε νόμος

προστάττει — καὶ χρή. E a) *ἔργων — πραχθέντων* | *λόγῳ-ῥηθέντι.* b) *τοῖς πράξασι — παρὰ τῶν ἀκουσάντων*, simul et *πράξασι* opponitur verbo *πραχθέντων.* c) *τοὺς μὲν — ἐπαινέσεται,* | *τοῖς δὲ — παραινέσεται.* d) *ἐκγόνοις — παρακελευόμενος,* | *πατέρας δὲ — παραμυθούμενος.* 237 A *ζῶντές τε τοὺς ἑαυτῶν εὔφραινον δι᾽ ἀρετὴν* | *καὶ τὴν τελευτὴν ἀντὶ τῆς τῶν ζώντων σωτηρίας ἠλλάξαντο,* quo loco *τελευτὴν* opponitur et verbo *ζῶντες* et *σωτηρίας*, praeterea membra coniunguntur lusu verborum. C *πολλαχῇ μὲν καὶ ἄλλῃ, πρῶτον δὲ καὶ μέγιστον.* D *θηρίων μὲν ἀγρίων — ἐφάνη,* | *ἐξελέξατο δὲ — ἄνθρωπον;* prius membrum simul oppositum est enuntiato relativo, quod praecedit. 238 A *μᾶλλον ὑπὲρ γῆς ἢ γυναικός* (sequitur *οὐ γὰρ γῆ γυναῖκα — ἀλλὰ γυνὴ γῆν*). C a) *κἀκεῖνοι ἀγαθοὶ καὶ οἱ νῦν εἰσιν.* b) *καὶ τότε ἦν καὶ νῦν.* c) *νῦν τε πολιτευόμεθα καὶ τὸν ἀεὶ χρόνον.* d) *καλεῖ δὲ ὁ μὲν αὐτὴν δημοκρατίαν, ὁ δὲ ἄλλο.* D a) *τοτὲ μὲν ἐκ γένους, τοτὲ δὲ αἱρετοί.* b) *οὔτε ἀσθενείᾳ — ἀπελήλαται οὐδείς, οὐδὲ τοῖς ἐναντίοις τετίμηται* (— *ἀλλά*). E sq. a) *αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι — ἡμεῖς δέ.* b) priori membro additum est *ἔνιοι μὲν δούλους, οἱ δὲ δεσπότας ἀλλήλους νομίζοντες.* c) posterius membrum dividitur voculis *οὐκ — ἀλλά.* d) adduntur contraria *ἰσογονία — ἰσονομία.* e) *κατὰ φύσιν — κατὰ νόμον.* f) *μηδενὶ ἄλλῳ ἤ.* 239 A *καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ.* B *ὡς ἠμύναντο καὶ ὡς ἤμυναν.* C *ταῦτα μὲν οὖν — δοκεῖ μοι ἐᾶν — ὧν δὲ οὔτε ποιητής — τούτων πέρι μοι δοκεῖ —.* D *ἡγουμένους τῆς Ἀσίας καὶ δουλουμένους τὴν Εὐρώπην.* b) *οἱ τῆσδε τῆς χώρας ἔκγονοι, γονεῖς δὲ ἡμέτεροι.* c) *πᾶσα μὲν ἡ Ἀσία ἐδούλευε — αἱ δὲ γνῶμαι δεδουλωμέναι ἁπάντων τῶν ἀνθρώπων ἦσαν*, priori membro additur d) *ὁ μὲν πρῶτος —, ὁ δὲ υἱὸς —, τρίτος δέ*, quorum in primo membro contraria sunt e) *ἐλευθερώσας — ἅμα καὶ τοὺς δεσπότας ἐδουλώσατο*, in tertio membro f) *πεζῇ μὲν — ναυσὶ δέ.* 240 A *πέμψας μυριάδας μὲν πεντήκοντα ἔν τε πλοίοις καὶ ναυσί, ναῦς δὲ τριακοσίας.* B *τούτους ἐχειρώσατο μὲν ἐν τρισὶν ἡμέραις, διηρευνήσατο δὲ πᾶσαν τὴν χώραν.* E *τὰ μὲν οὖν ἀριστεῖα — τὰ δὲ δευτερεῖα.* 241 A a) *πολλὰ μὲν ἄν τις ἔχοι — ὃ δέ μοι δοκεῖ.* b) *καὶ οἷα ἐπιόντα ὑπέμειναν — καὶ ὡς ἠμύναντο ταῦτα.* c) *κατά τε γῆν καὶ κατὰ θάλατταν.* d) *οἱ μὲν γὰρ Μαραθῶνι — ὅτι κατὰ γῆν* — (*ὀλίγοις πολλούς*), *ναυσὶ δέ.* C a) *τὸ μὲν οὖν μέγιστον — μετὰ δὲ τοῦτο.* b) *νῦν*

τε ὑφ᾽ ἡμῶν — καὶ εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον ὑπὸ τῶν ὕστερον. D πολλαὶ μὲν πόλεις — μετὰ τοῦ βαρβάρου, αὐτὸς δέ. E σωτηρίᾳ — φθορᾷ. b) καὶ οὗτος μὲν δὴ — διηντλήθη ὁ πόλεμος — εἰρήνης δέ, adduntur tria paria: c) ὑπὲρ ἑαυτῶν τε καὶ τῶν ἄλλων. d) εἰρ. δὲ γενομένης καὶ τῆς πόλεως τιμωμένης. e) πρῶτον μὲν ζῆλος, ἀπὸ ζήλου δὲ φθόνος. 242 A συνέβαλον μὲν — μαχόμενοι, ἀμφισβητησίμου δὲ τῆς μάχης. B οἱ μὲν γὰρ ᾤχοντο —, οἱ δ᾽ ἡμέτεροι — κατήγαγον. b) καταλιπόντες οἷς ἐβοήθουν oppositum est in sequenti enuntiato verbis ἐλευθερώσαντες οἷς ἐβοήθουν. c) τοὺς ἀδίκως φεύγοντας δικαίως κατήγαγον. d) Ἕλλησιν — πρὸς Ἕλληνας. D πρὸς μὲν τὸ ὁμόφυλον μέχρι νίκης δεῖν πολεμεῖν (καὶ μὴ — διολλύναι, ἰδίαν — κοινόν), πρὸς δὲ τοὺς βαρβάρους μέχρι διαφθορᾶς. 243 A ὧν οἱ ἐχθροὶ — πλείω ἔπαινον ἔχουσι — ἢ τῶν ἄλλων οἱ φίλοι. C νικήσαντες μὲν τοὺς πολεμίους, | λυσάμενοι δὲ τοὺς φιλίους. D a) τῇ μὲν γὰρ ἐκείνων ἀρετῇ ἐνικήσαμεν (οὐ μόνον τὴν τότε ναυμαχίαν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἄλλον πόλεμον) — τῇ δὲ ἡμετέρᾳ αὐτῶν διαφορᾷ ἐκρατήθημεν (οὐχ ὑπὸ τῶν ἄλλων). b) ἀήττητοι γὰρ ἔτι καὶ νῦν ὑπό γε ἐκείνων ἐσμέν, ἡμεῖς δὲ αὐτοὶ ἡμᾶς αὐτοὺς καὶ ἐνικήσαμεν καὶ ἡττήθημεν. 244 B a) ὧν τ᾽ ἐποιήσαμεν ὧν τ᾽ ἐπάθομεν. b) τοῖς μὲν βαρβάροις συγγιγνώσκουσα, ὅτι παθόντες ὑπ᾽ αὐτῆς κακῶς ἱκανῶς οὐκ ἐνδεῶς ἠμύναντο, | τοῖς δὲ Ἕλλησιν ἀγανακτοῦσα, μεμνημένη, ὡς εὖ παθόντες ὑπ᾽ αὐτῆς οἵαν χάριν ἀπέδοσαν. c) τάς τε ναῦς περιελόμενοι, αἵ ποτ᾽ ἐκείνους ἔσωσαν, καὶ τείχη καθελόντες — ἐκωλύσαμεν πεσεῖν. C τοὺς μὲν τῆς ἐλευθερίας ἐπικούρους πεπτωκέναι ἡμᾶς, σφέτερον δὲ ἤδη ἔργον εἶναι καταδουλοῦσθαι τοὺς ἄλλους. 245 A τοὺς μὲν Ἕλληνας αὐτὴ — δουλείας (ὥστ᾽ ἐλευθέρους — κατεδουλώσαντο), βασιλεῖ δὲ αὐτὴ μὲν οὐκ —, φυγάδας δὲ ἐάσασα — ἔσωσε. C καὶ τῶν μὲν ἄλλων ξυμμάχων ἐψεύσθη — μόνοι δὲ ἡμεῖς. D διὰ τὸ εἰλικρινῶς εἶναι Ἕλληνες καὶ ἀμιγεῖς βαρβάρων. 246 A ὧν ἐγὼ μὲν ὑμᾶς ἀναμιμνήσκω, ὑμᾶς δὲ πρέπει. B ἐγὼ μὲν οὖν καὶ αὐτός — νῦν τε παρακελεύομαι καὶ ἐν τῷ λοιπῷ χρόνῳ — διακελεύσομαι — ἐν δὲ τῷ παρόντι δίκαιός εἰμι. C ἅ τε αὐτῶν ἤκουσα ἐκείνων καὶ οἷα νῦν ἡδέως ἂν εἴποιεν. D a) οὔτε τινὰ ἀνθρώπων οὔτε θεῶν b) οὔτ᾽ ἐπὶ γῆς οὐθ᾽ ὑπὸ γῆς. 247 A a) καὶ πρῶτον καὶ ὕστατον. b) ὅπως μάλιστα μὲν — εἰ δὲ μή. c) καὶ ἡμᾶς καὶ τοὺς πρό-

σθεν. d) *ὡς ἡμῖν, ἂν μὲν νικῶμεν — ἡ νίκη αἰσχύνην φέρει, ἡ δὲ ἧττα, ἐὰν ἡττώμεθα, εὐδαιμονίαν.* e) *μάλιστα δ᾽ ἂν νικῴμεθα καὶ ὑμεῖς νικῴητε.* B a) *εἶναι μὲν γὰρ τιμὰς γονέων ἐκγόνοις καλὸς θησαυρὸς καὶ μεγαλοπρεπής· χρῆσθαι δὲ καὶ χρημάτων καὶ τιμῶν θησαυρῷ (καὶ μὴ — παραδιδόναι) αἰσχρὸν καὶ ἄνανδρον.* b) *ἐὰν μὲν ταῦτα ἐπιτηδεύσητε, φίλοι — ἀφίξεσθε — ἀμελήσαντας δὲ — οὐδεὶς εὐμενῶς ὑποδέξεται.* C *τοῖς μὲν οὖν παισί-πατέρας δέ.* D *φέροντες μὲν ἀνδρείως τὰς συμφορὰς δόξουσι τῷ ὄντι ἀνδρείων παίδων πατέρες εἶναι καὶ αὐτοὶ τοιοῦτοι· | ὑπείκοντες δὲ ὑποψίαν παρέξουσιν ἢ μὴ ἡμέτεροι εἶναι ἢ — καταψεύδεσθαι.* E *καλῶς δοκεῖ λέγεσθαι. τῷ γὰρ ὄντι εὖ λέγεται.* b) *ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα — καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις αἰωρεῖται.* 248 A a) *ἐξ ὧν ἢ εὖ ἢ κακῶς πραξάντων.* b) *γιγνομένων καὶ διαφθειρομένων.* c) *οὔτε γὰρ χαίρων οὔτε λυπούμενος.* C *τὰ μὲν γὰρ ἡμέτερα — (ὥστε πρέπει αὐτὰ μᾶλλον κοσμεῖν ἢ θρηνεῖν), γυναικῶν δὲ τῶν ἡμετέρων.* E *ἐκεῖνοί τε ἐπέσκηπτον ἡμῖν ἀπαγγέλλειν καὶ ἐγὼ — ἀπαγγέλλω.* b) *τῶν μὲν μιμεῖσθαι τοὺς αὐτῶν, τῶν δὲ θαρρεῖν ὑπὲρ αὐτῶν.* c) *καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ.* 249 A *ἔτι τε παισὶν οὖσι καὶ ἐπειδὰν εἰς ἀνδρὸς τέλος ἴωσιν.* B *τῶν μὲν τελευτησάντων ἐν κληρονόμου καὶ υἱέος μοίρᾳ καθεστηκυῖα, τῶν δὲ υἱέων ἐν πατρός, γονέων δὲ καὶ τῶν τοιούτων ἐν ἐπιτρόπου.* C *τοῖς τε γὰρ τελευτήσασι καὶ τοῖς ζῶσιν.* b) *θεραπεύειν τε καὶ θεραπεύεσθαι.* c) *ὑμεῖς τε καὶ οἱ ἄλλοι πάντες.*

Ceterum antitheta semper fere exacuuntur accedentibus aut homoeoteleutis aut parisis aut lusu verborum. Frequentissime autem adhibita est ea oppositio, quae negatione alterutri membro adiecta efficitur. Quare saepissime fit, ut eadem repetatur sententia. Cuius generis in hac oratione inveniuntur exempla quadraginta quinque, in epitaphio Thucydideo viginti duo. Hoc loco non alienum videtur commemorare genus antithetorum effectum voculis *οὐ τὸ πλεῖον ἢ* sive *οὐ μᾶλλον ἢ* sive *οὐ μᾶλλον ἀλλά*, quod proprie ad colorem Thucydideum pertinet et in epitaphio historici octies adhibitum est, in Menexeno omnino non inveniri. Oppositio autem voculis *μὲν* et *δὲ* effecta adhibita est in epitaphio Platonico quadragies bis, in fragmentis epitaphii et Olympici Gorgiei novies, in oratione funebri Thucydidea septies decies. Denique usitatorum

antithetorum haec in epitaphio Platonico inveniuntur exempla: 1) contrarium *ἔργῳ — λόγῳ* adhibitum est ter (in epitaphio Thucydideo quater decies); 2) *κοινῇ — ἰδίᾳ* quinquies, si adnumerare licet 242 D *δι' ὀργὴν ἰδίαν — τὸ κοινόν; καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ* bis; 3) *κατὰ γῆν — κατὰ θάλατταν* bis, *πεζῇ — ναυσὶ* semel, *κατὰ γῆν — ναυσὶ* semel, 4) *φύσις — νόμος* bis.

d. Iam ceterarum figurarum quae dicuntur comparativarum exempla enumeranda sunt. §. 27.

1) Oxymoron s. contradictio in adiecto. Gorg. frgm. apud Longin. de sublim. 3. *γῦπες ἔμψυχοι τάφοι.*

Menex. 242 C *ἀναξίαν χάριν ἐκτινόντων.* 243 C *οὐκ ἀναιρεθέντες — κεῖνται ἐνθάδε.* 247 D *δόξουσι τῷ ὄντι.*

2) Anaclasis, qua idem verbum notione diversa adhibetur. — Cf. Sympos. 196 E *ποιητὴς* poeta et genius procreans, *ποίησις* poesis et *ποίησις τῶν ζώων* procreatio.

Menex. 238 E *ἀνωμάλων* disparium et *ἀνώμαλοι* inaequales. 239 C *ἀξίαν* dignationem et *δόξαν ἀξίαν* dignam. 245 E *ἀπηλλάγημεν* nos liberavimus, bellum composuimus et *οὕτως ἀγαπητῶς ἀπηλλάττοντο* liberabantur, evadebant ex.

3) Chiasmus et antimetabole. — Gorg. Epit. *πολλὰ μὲν τὸ πρᾶον ἐπιεικὲς τοῦ αὐθάδους δικαίου προκρίνοντες, πολλὰ δὲ νόμου ἀκριβείας λόγων ὀρθότητα.*

Menex. 238 A *γῆ γυναῖκα — γυνὴ γῆν.* 241 B *φόβον διέλυσαν — καὶ ἔπαυσαν φοβουμένους.* 243 B *βάρβαρον ἐφ' Ἕλληνας — Ἕλληνάς τε καὶ βαρβάρους.* 244 C *ἐλευθερίας — ἡμᾶς, σφέτερον δὲ — καταδουλοῦσθαι.* 246 D *ἐξὸν ζῆν μὴ καλῶς, καλῶς — τελευτᾶν.* 247 A *ἂν νικῶμεν, ἡ νίκη — ἡ δὲ ἧττα, ἐὰν ἡττώμεθα·*

e. Figurarum autem quae dicuntur formalium haec inveniuntur exempla. §. 28.

1) Anaphora. Gorg. Epit. a. *τί γὰρ — τί δέ.* b. *πολλὰ μὲν — πολλὰ δέ.* Plat. Gorg. 456 D sq. *οὐ τούτου ἕνεκα* quinquies repetitur.

Menex. 242 E sq. *ἐν ᾧ πολλοὶ — κεῖνται, πολλοὶ μὲν — πολλοὶ δ' ἐν* — (*πολλὰς δὲ καὶ* in parte enuntiati secundaria). 245 E *ἀνδρῶν μέντοι ἀγαθῶν —, ἀγαθοὶ δὲ καί.* 246 A *ὑμᾶς ἀναμιμνήσκω, ὑμᾶς δὲ πρέπει.* b) *πολλὰ μὲν — καὶ καλά, πολὺ δ' ἔτι πλείω καὶ καλλίω — πολλαὶ γάρ.* 247 A *μάλιστα μὲν —*

μάλιστα δέ. 248 A *τούτῳ ἄριστα παρεσκεύασται ζῆν, οὗτός ἐστιν ὁ σώφρων καὶ οὗτος ὁ ἀνδρεῖος καὶ φρόνιμος· οὗτος γιγνομένων.*

2) Epiphora. Gorg. Epit. *προσεῖναι — προσεῖναι.* Plat. Gorg. 456 B *ἰατρόν — ἰατρόν — ἰατρόν.* 457 A *ὀρθῶς — ὀρθῶς.*

Menex. 243 C *ἀπειλημμένων — τῶν νεῶν, βοηθήσαντες ἑξήκοντα ναυσίν, αὐτοὶ ἐμβάντες εἰς τὰς ναῦς,* quo loco simul polyptoton adhibitum est. 248 E *τῶν μὲν μιμεῖσθαι τοὺς αὑτῶν, τῶν δὲ θαρρεῖν ὑπὲρ αὑτῶν.*

3) Eiusdem verbi usus et in initio et in fine enuntiati aut membri (*κύκλος*).

Menex. 237 A *ἀγαθοὶ δ' ἐγένοντο — ἐξ ἀγαθῶν.* 239 B *Ἀργείοις πρὸς Καδμείους καὶ Ἡρακλείδαις πρὸς Ἀργείους.* 242 B sq. *οὗτοι δὴ πρῶτοι — πρῶτοι ἐτέθησαν.* 243 D *ἀήττητοι — ἡττήθημεν.* 242 B *Ἕλλησιν — βοηθοῦντες πρὸς Ἕλληνας.*

4) Asyndeti, cuius frequens est apud Gorgiam usus, pauca in Menexeno inveniuntur exempla eademque aliquid excusationis habent.

Menex. 237 A *δοκεῖ μοι* post interrogationem. 238 D *εἷς ὅρος, ὁ δόξας.* 239 D *πρῶτα· Πέρσας ἡγουμένους.* 240 B *τοιούτῳ τρόπῳ· ἐπὶ τὰ ὅρια,* quibus locis asyndeton est explicativum. 248 A *οὗτος γιγνομένων,* quo loco anaphora adhibita est.

§. 29. f. In tropis vero, qui proprie ad genus dicendi poeticum pertinent, cum Gorgias multus fuisse videatur, exempla etiam in Menexeno quaerenda sunt, praesertim cum Dionysius [1]), qua ratione genus tropicum a Platone adhibitum esset, in singulari commentatione se expositurum esse dixerit.

1) Translatio s. metaphora. Gorg. Epit. *θεράποντες τῶν ἀδίκως δυστυχούντων.* frgm. apud Longin. de subl. 3, 247 *Ξέρξης ὁ τῶν Περσῶν Ζεύς.* frgm. apud Aristot. Rhet. III, 3 p. 128 *χλωρὰ καὶ ἔναιμα τὰ πράγματα* et *σὺ δὲ ταῦτα αἰσχρῶς μὲν ἔσπειρας, κακῶς δὲ ἐθέρισας.* Cf. Symp. 196 A *ἀνανθεῖ γὰρ καὶ ἀπηνθηκότι καὶ σώματι καὶ ψυχῇ.*

---

[1]) De adm. vi dic. in Dem. c. 32: *τὸ τροπικόν, περὶ ὃ μάλιστα δεινὸς ὁ Πλάτων δοκεῖ εἶναι. Καὶ — ταύτην μὲν εἰς ἕτερον καιρὸν ἀναβάλλομαι τὴν θεωρίαν — ἰδίαν γὰρ οὐκ ὀκνήσω περὶ αὐτῆς ἐξενέγκαι πραγματείαν.*

Menex. 237 E *πηγὰς τροφῆς* = mammas. 238 A *ἐλαίου γένεσιν, πόνων ἀρωγήν.* C *πολιτεία τροφὴ ἀνθρώπων ἐστί.* 239 C a) *ἐν μνηστείᾳ.* b) *προμνώμενον ἄλλοις ἐς ᾠδάς.* 240 C *ἐν τῇ αὐτῇ ταύτῃ ἀνάγκῃ ζεύξαντας.* D *διδάσκαλοι* cf. *μαθηταί* (240 E), *παιδευθῆναι* (241 C), quo loco exempla virtutis a maioribus edita cum educatione comparantur. 240 E *πατέρας τῆς ἐλευθερίας.* 242 A *διηντλήθη ὁ πόλεμος.* 243 E *πόλιν νοσῆσαι.* 244 E (*ἡ πόλις*) *τοῦ ἥττονος θεραπίς.* 245 A *ἐκάμφθη* (*ἡ πόλις*). C *τὸ τῆς πόλεως γενναῖον — ὑγιές ἐστι καὶ φύσει μισοβάρβαρον.* D *καθαρὸν τὸ μῖσος ἐντέτηκε* [1]). 247 B *τιμῶν θησαυρῷ.* E *ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα — καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις αἰωρεῖται.* 248 A *πλανᾶσθαι ἠνάγκασται τὰ ἐκείνου.* 249 B *ὄργανα τῆς πατρῴας ἀρετῆς.*

2) Personificatio quae dicitur. Gorg. Epit. *ὁ πόθος οὐ συναπέθανεν, ἀλλ' ἀθάνατος — ζῇ.*

Menex. 236 E (*ὁ λόγος*) *ἐπαινέσεται, παραινέσεται, παρακελευόμενος, παραμυθούμενος.* 237 B *γένεσις ἀποφηναμένη* [2]). In ea, quae sequitur patriae laudatione terra cum matre comparatur. Quae comparatio quamquam usitata et in vulgata opinione Atheniensium posita est, tamen ab oratore ita expingitur, ut magis artificia oratoria sub oculos cadant quam illa opinio. Cf. 237 B *τρεφομένους οὐχ ὑπὸ μητρυιᾶς — ἀλλ' ὑπὸ μητρός.* D *ἐξελέξατο — ἄνθρωπον.* E ludibundus usus verbi *τίκτειν, ὑποβαλλομένη, πηγὰς τροφῆς.* 238 A *οὐ γῆ γυναῖκα μεμίμηται κυήσει καὶ γεννήσει, ἀλλὰ γυνὴ γῆν, οὐκ ἐφθόνησεν.* B *θεοὺς ἐπηγάγετο.* Haec omnia pertinent ad personificationem variis coloribus expictam. 239 D *ἡ Ἀσία ἐδούλευε.* 240 A *αἱ γνῶμαι δεδουλωμέναι ἦσαν.* b) *πολλὰ γένη καταδεδουλωμένη ἡ Περσῶν ἀρχή.* D *τὴν ὑπερηφανίαν ὅλης τῆς Ἀσίας.* 241 D *πόλεις ἦσαν μετὰ τοῦ βαρβάρου.* 242 A *ἦλθεν ἐπ' αὐτὴν ζῆλος.* B *διέκρινε τὸ ἔργον.* 244 A *ξυγγένεια φιλίαν παρεχομένη.* 247 C *ἡ προσήκουσα μοῖρα κομίσῃ.* D *ἱκανὴ ἔσται ἡ γενομένη τύχη τοῦτο πορίζειν.* Denique in magna parte orationis *ἡ πόλις* constanter inducitur agens, cogitans, sentiens,

---

[1]) So. El. 1311 *μῖσός τε γάρ παλαιὸν ἐντέτηκέ μοι.* — [2]) Qua in elocutione offendit Dionysius (de adm. vi Dem. c. 27), quamquam tropum non perspexisse videtur.

consilia capiens, ita ut descriptio colore poetico ornetur. 244 B ἡσυχίαν ἦγεν ἡ πόλις συγγιγνώσκουσα — ἀγανακτοῦσα, μεμνημένη. C διανοουμένη δὲ ἡ πόλις. E φιλοικτίρμων ἐστὶ καὶ τοῦ ἥττονος θεραπίς — οὐχ οἵα τε ἐγένετο καρτερῆσαι οὐδὲ διαφυλάξαι. 245 A ἀλλὰ ἐκάμφθη καὶ ἐβοήθησε — βοηθήσασα ἀπελύσατο — οὐκ ἐτόλμησε βοηθῆσαι, αἰσχυνομένη — ἐάσασα — ἔσωσε· τειχισαμένη δὲ καὶ ναυπηγησαμένη, ἐκδεξαμένη — ἐπολέμει. 248 E τῆς πόλεως ἴστε — τὴν ἐπιμέλειαν, ὅτι νόμους θεμένη — ἐπιμελεῖται. 249 A συνεκτρέφει, προθυμουμένη — ἐν πατρὸς σχήματι καταστᾶσα — καὶ ἀποπέμπει — κοσμήσασα, ἐνδεικνυμένη καὶ ἀναμιμνήσκουσα — διδοῦσα. B τιμῶσα οὐδέποτ' ἐκλείπει — ποιοῦσα — ἀγῶνας τιθεῖσα — ἐν κληρονόμου καὶ υἱέος μοίρᾳ καθεστηκυῖα — πᾶσαν ἐπιμέλειαν ποιουμένη.

3) Synecdoche. Menex. 245 D οὐ Πέλοπες οὐδὲ Κάδμοι οὐδὲ Αἴγυπτοί τε καὶ Δαναοί — συνοικοῦσιν ἡμῖν. 249 B ἰέναι ἐπὶ τὴν πατρῴαν ἑστίαν = οἰκίαν.

4) Periphrasis s. circumlocutio, in Menexeno a Dionysio [1]) vituperata. Gorg. Epit. νόμου ἀκριβείας [2]).

Menex. 237 B προγόνων γένεσις, quem in locum Dionysius [3]) recte adnotat, praedicata ἔπηλυς et ἀποφηναμένη non quadrare in subiectum γένεσις; ceterum apparet, circumlocutionem lusus verborum causa esse factam. Eadem de causa periphrasis adhibita est 238 A ἐλαίου γένεσιν ἀνῆκε, quo loco appositio πόνων ἀρωγὴν non tam quadrat in γένεσιν quam in voculam ἐλαίου, cf. Protag. 324 B (Πρωτ.) τὸ ἔλαιον — ταῖς τοῦ ἀνθρώπου (θριξὶν) ἀρωγόν. Etiam hoc loco circumlocutio paronomasiae causa facta est (ἐκγόνοις). 241 D τέλος τῆς σωτηρίας ἐπέθεσαν. 248 C τῆς τύχης ἂν εἶεν ἐν λήθῃ. 249 A εἰς ἀνδρὸς τέλος ἴωσιν.

§. 30. Hoc loco commemorare liceat usum adiectivi generis neutrius pro substantivo adhibiti, cuius usus apud Gorgiam complura inveniuntur exempla, in Menexeno autem unum idemque notabile: 245 C τὸ τῆς πόλεως γενναῖον καὶ ἐλεύθερον βέβαιόν τε καὶ ὑγιές ἐστι καὶ φύσει μισοβάρβαρον.

Contra elocutionem copiosam, quae Gorgiae eademque generis dicendi poetici propria est, in Menexeno satis conspicuam

---

[1]) De adm. vi Dem. c. 29. — [2]) Blass I, 59. — [3]) l. c. c. 27.

esse apparet. Pauca igitur exempla sufficient. Gorg. Epit. a) *καὶ λέγειν καὶ σιγᾶν καὶ ποιεῖν.* b) *οὐκ ἄπειροι οὔτε ἐμφύτου Ἄρεος οὔτε νομίμων Ἐρώτων οὔτε ἐνοπλίου Ἔριδος οὔτε φιλοκάλου Εἰρήνης.* Plat. Gorg. 456 D *οὐ δεῖ τύπτειν οὐδὲ κεντεῖν καὶ ἀποκτιννύναι,* 459 C *μισεῖν δίκαιον καὶ ἐκβάλλειν καὶ ἀποκτιννύναι.*

Menex. 236 E *ὅ τε νόμος προστάττει — καὶ χρή.* 237 C *τῆς τεκούσης καὶ θρεψάσης καὶ ὑποδεξαμένης* (mortuos veluti gremio suo suscipientis, Schleierm.). 239 D *καὶ δίκαιον καὶ χρή.* 241 B *καὶ πλήθει καὶ πλούτῳ καὶ τέχνῃ καὶ ῥώμῃ.* 245 C *ἠθέλησαν ἐκδιδόναι καὶ ξυνέθεντο καὶ ὤμοσαν.* 248 B *ἀξιοῦμεν — καὶ βουλόμεθα καὶ φαμέν.*

Denique hiatum, a Gorgia minime evitatum[1]), a Platone in Menexeno saepissime admissum esse, iam inde a Ciceronis[2]) temporibus notum est.

B. De argumento.

§. 31. Quodcum in perlustrato dicendi genere satis multa invenisse nobis videamur, quae ad artificia Gorgiea spectant, iam quaeràmus, num etiam in argumento orationis vestigia eiusdem artis reperiri possint.

Ac primum sub oculos cadit accurata partium descriptio, quam Socrates in exordio exhibet diligenterque observat. Verbis enim quae leguntur 236 E *δεῖ δή τοιούτου τινὸς λόγου, ὅστις τοὺς μὲν τετελευτηκότας ἱκανῶς ἐπαινέσεται, τοῖς δὲ ζῶσιν εὐμενῶς παραινέσεται,* circumscribuntur partes orationis primariae, sc. *ἔπαινος* et *παραίνεσις;* eis autem quae sequuntur participiis *παρακελευόμενος* et *παραμυθούμενος* continentur membra secundae partis, sc. *παρακέλευσις* et *παραμυθία.* Denique in extremo exordio membra prioris partis, sc. *εὐγένεια, τροφὴ καὶ παιδεία, ἡ τῶν ἔργων πρᾶξις* ita proferuntnr, ut ordinis eorum ratio reddatur.

Quam partium descriptionem nonnihil scholae umbram et artificium sapere vere iudicavit Loers[3]), nec dubitari potest, quin talis perspicuitatis consectatio ad imitationem disciplinae Gorgieae pertineat. Eadem enim perspicuitas invenitur et in declamationibus Gorgiae nomine ornatis, quas certe imitamenta esse demonstrat Blass[4]), et in oratiuncula Agathonis. Quam quidem ad illustran-

[1]) Blass I, 63. — [2]) Orat. §. 151. — [3]) Progr. p. 8. — [4]) I, 68 sqq.

dam Platonis in Mexeno rationem conferri liceat. Sicut enim Agatho verbo *εἰπεῖν* ludens primum quaerit, quomodo dicendum sit (194 E *πρῶτον μὲν εἰπεῖν ὡς χρή με εἰπεῖν*) eaque re definita ad certum partium ordinem pervenit, ita Socrates vocula *λόγος* ludens primum exponit, qualis esse debeat oratio (236 E *δεῖ δὴ τοιούτου τινὸς λόγου — τίς οὖν ἂν ἡμῖν τοιοῦτος λόγος φανείη;*), idque definiens rationem ordinis observandi reddit. Porro Agatho aeque ac Plato accuratam partium descriptionem exhibet, et primum quidem totius orationis (195 A *ἐπαινέσαι πρῶτον αὐτὸν οἷός ἐστιν, ἔπειτα τὰς δόσεις*), tum prioris partis (*φημὶ Ἔρωτα εὐδαιμονέστατον εἶναι, κάλλιστον ὄντα καὶ ἄριστον*). Praeterea initia singularum partium ab utroque notantur aut prothesi praemissa aut recapitulatione addita aut aliqua enumerandi formula adhibita. Quod melius perspici poterit, si dispositionem epitaphii cum partium notis descripserimus. Est enim haec:

A. *ἔπαινος* c. 5—17.

Exordium c. 5, quo dispositio continetur.

1) *εὐγένεια* c. 6. 7 (237 D).

Praemittitur prooemium, in quo generositas ita definitur, ut contineatur autochthonia (237 B *τῆς δ' εὐγενείας πρῶτον*); laudatur igitur terra (237 C *δικαιότατον κοσμῆσαι πρῶτον*); ea enim

a. *θεοφιλής ἐστι* (237 C *πρῶτον δὲ καὶ μέγιστον*),

b. *ἐγέννησεν ἄνθρωπον* (237 D *δεύτερος δὲ ἔπαινος*).

2) *τροφὴ καὶ παιδεία* c. 7 (237 E) — c. 8.

a. *τροφή* (237 E *μέγα δὲ τεκμήριον τούτῳ τῷ λόγῳ, ὅτι ἥδε ἔτεκεν*).

b. *παιδεία τῶν θεῶν* (238 B *θρεψαμένη καὶ αὐξήσασα*).

c. *πολιτεία* (238 B *γεννηθέντες δὲ καὶ παιδευθέντες*).

3) *ἔργων πρᾶξις* c. 9—17.

(239 A *ὅθεν δή — τεθραμμένοι — καὶ φύντες — ἔργα ἀπεφήναντο*).

Praemittitur prooemium, quo continetur partitio (239 B *Ἕλλησιν ὑπὲρ Ἑλλήνων καὶ βαρβάροις ὑπὲρ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων*) et praeteritio ad bella fabulosa spectans.

a. ὁ τῶν Περσῶν πόλεμος. c. 10—12. (239 C ἔστι δὲ τούτων ὧν λέγω πρῶτα· Πέρσας — ἔσχον οἱ τῆςδε τῆς χώρας ἔκγονοι — ὧν καὶ δίκαιον καὶ χρὴ πρῶτον). Praemittitur descriptio imperii Persarum. Deinceps narrantur pugnae commissae

α) apud Marathona (240 A αἰτιασάμενος δὲ Δαρεῖος ἡμᾶς),

β) apud Salamina (240 E τὰ μὲν οὖν ἀριστεῖα — τὰ δὲ δευτερεῖα),

γ) apud Plataeas (241 C τρίτον δὲ λέγω),

δ) ceterae excursiones contra Persas factae (241 C τὸ μὲν οὖν μέγιστον — μετὰ δὲ τοῦτο).

b. οἱ Ἑλληνικοὶ πόλεμοι c. 13—17. (241 E καὶ οὗτος μὲν — εἰρήνης δὲ γενομένης). Causis significatis narrantur

α) bellum Boeoticum (242 A μετὰ δὲ τοῦτο γενομένου πολέμου),

β) prior pars belli Peloponnesiaci (242 C μετὰ δὲ ταῦτα πολλοῦ πολέμου),

γ) altera pars belli Peloponnesiaci (242 E τρίτος δὲ πόλεμος),

δ) bellum civile (243 E μετὰ δὲ ταῦτα — ὁ οἰκεῖος ἡμῖν πόλεμος),

ε) bellum Corinthium (244 B μετὰ δὲ τοῦτο).

B. παραίνεσις c. 18—21.

(246 A καὶ τὰ μὲν δὴ ἔργα — πολλὰ μὲν τὰ εἰρημένα — πολὺ δ' ἔτι πλείω τὰ ὑπολειπόμενα — τούτων οὖν χρὴ μεμνημένους — παρακελεύεσθαι).

Praemittitur prooemium, quo continetur propositio sermocinationis quae sequitur.

1) παρακέλευσις καὶ παραμυθία τῶν τελευτησάντων c. 19. 20.

a. παρακέλευσις (246 C ὦ παῖδες),

b. παραμυθία (247 C τοῖς μὲν οὖν παισὶ ταῦτ' εἰρήσθω· πατέρας δέ).

2) *παρακέλευσις καὶ παραμυθία τοῦ ῥήτορος.* (248 D *ταῦτα οὖν — ἐκεῖνοι ἐπέσκηπτον — καὶ αὐτὸς δέομαι*). c. 21.

Conclusio (249 C *νῦν δὲ ἤδη ὑμεῖς*).

Similem in modum Agatho commissuras partium denotat. Exempli gratia conferatur transitio, qua a priore ad alteram partem prioris capitis pergit, 196 B *περὶ μὲν οὖν κάλλους τοῦ θεοῦ καὶ ταῦτα ἱκανὰ καὶ ἔτι πολλὰ λείπεται, περὶ δὲ ἀρετῆς Ἔρωτος μετὰ ταῦτα λεκτέον*, cf. Menex. 246 A.

§. 32. Praeterea aliquid sophistici cernitur in ea perspicuitatis consectatione, qua scriptor singulos locos alicuius partis aut complures partes eadem notione vel vocula adhibita coniungit. Ita notionibus *φύσις* et *γένεσις* colligantur exordium, pars A 1. 2. 3. Cf. 237 A *δοκεῖ δέ μοι χρῆναι κατὰ φύσιν, ὥσπερ ἀγαθοὶ ἐγένοντο, οὕτω καὶ ἐπαινεῖν αὐτούς· ἀγαθοὶ δ' ἐγένοντο διὰ τὸ φῦναι ἐξ ἀγαθῶν· τὴν εὐγένειαν οὖν πρῶτον.* 238 E *ἡμεῖς δὲ-μιᾶς μητρὸς πάντες ἀδελφοὶ φύντες-ἀλλ' ἡ ἰσογονία ἡ κατὰ φύσιν.* 239 A *καλῶς φύντες πολλὰ δὴ καὶ καλὰ ἔργα.* 244 A *καὶ τούτων ἁπάντων οὐδὲν ἄλλο αἴτιον ἢ ἡ τῷ ὄντι ξυγγένεια.* 245 C *τὸ τῆς πόλεως γενναῖον — ὑγιές ἐστι καὶ φύσει μισοβάρβαρον διὰ τὸ εἰλικρινῶς εἶναι Ἕλληνες*[1]). Hoc modo fere omnes Atheniensium virtutes ex autochthonia derivantur. Porro notione *τροφή* coniunguntur partes A 2, a. c. cf. 238 C *πολιτεία γὰρ τροφὴ ἀνθρώπων.* Deinde notione *ἐλευθερία* non solum colligantur *πολιτεία* et *ἔργα*, cf. 239 A *ἐν πάσῃ ἐλευθερίᾳ τεθραμμένοι — ἔργα ἀπεφήναντο — οἰόμενοι δεῖν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας — μάχεσθαι*, sed etiam omnia quae narrantur bella pro libertate suscepta esse dicuntur, cf. 239 B *ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας καὶ Ἕλλησιν ὑπὲρ*

---

[1]) Vix ferri potest lectio codicum *Ἕλληνες* neque ea quae Stallbaum attulit exempla in hunc locum quadrant: 242 A *πάσῃ τῇ πόλει διηντλήθη ὁ πόλεμος ὑπὲρ ἑαυτῶν.* 246 D *τῇ πόλει παρεκελευόμεθ' ἄν, ὅπως — ἐπιμελήσονται.* Quadrarent autem, si *πόλις* subiectum esset. Nam si scriptum esset *ἡ γενναία πόλις*, nominativus pluralis praedicati non esset durus, immo necessarius, quia *πόλις* ad sensum usurpari potest pro *πολῖται;* nunc autem duabus mutationibus opus est: primum pro *τὸ τῆς πόλεως γενναῖον* subaudiendum est *ἡ γενναία πόλις*, tum demum *οἱ γενναῖοι πολῖται.* Itaque haud scio an legendum sit *Ἕλληνας*, nam ad genetivum relatus accusativus praedicati usitatus est.

῾Ε. μάχεσθαι καὶ βαρβάροις ὑπὲρ ἁπάντων τῶν ῾Ε. 240. E 242 A. B ὑπὲρ τῆς Βοιωτῶν ἐλευθερίας. 243 A ὑπὲρ τῆς Λεοντίνων ἐλευθερίας. 244 C ἐλευθερίας ἐπικούρους ἡμᾶς. 245 A. 246 A οἱ βασιλέα ἐλευθερώσαντες. Tum pugnae apud Marathona et Salamina factae notione παιδεία coniunguntur inter se et cum praecedente parte, cf. 240 D διδάσκαλοι γενόμενοι. E μαθηταὶ τῶν Μαραθῶνι γενόμενοι. 241 C παιδευθῆναι καὶ τοὺς ἄλλους ῞Ε. Deinceps verbo βοηθεῖν novies usurpato colligantur partes A 3, b, α. γ. ε. Denique verbis κεῖσθαι ἐνθάδε quasi versu intercalari utitur 242 D. E. 243 C. 246 A, id quod eo magis in oculos cadit, quod illa verba etiam ad eos adhibentur, qui non sepulti sunt. Ita si res diversae uni notioni subiunguntur, expositio artem sophisticam sapiat necesse est.

Iam vero quod attinet ad laudationem, quae priore parte continetur, supra vidimus eam narrando peragi, quae ratio est longe facillima. Eadem autem utitur Gorgias, cum Themistoclis et Periclis mentionem facit (455 D sq.), et Polus, cum demonstrandae sententiae causa de Archelao narrat (471 A ss), quam rationem Socrates tunc quidem dixit esse ῥητορικῶς ἐλέγχειν et μάρτυρας παρέχεσθαι (471 E) ut contrariam argumentationi philosophicae vel dialecticae, nunc autem ipse adhibet. Itaque non inconsulte de contentione deorum in Critia reprobata scripsisse videtur 237 E μαρτυρεῖ δὲ ἡμῶν τῷ λόγῳ τῶν ἀμφισβητησάντων περὶ αὐτὴν θεῶν ἔρις. Ista autem ratione adhibita oratorem numquam deficit materia vel copia argumentorum, id quod Gorgias de se praedicavit [1]). Idem in epitaphio pluribus verbis commoratus esse narratur in pugnis apud Marathona et Salamina commissis [2]), quod idem Plato in Menexeno fecit. §. 33.

Laudandi autem rationem accuratius spectantibus quamquam nonnulla occurrunt, quae scite et cum aliqua probabilitate dicta esse videntur, tamen multo plura inveniuntur, quae aut neglegentiam aut artem sophisticam sapiunt. §. 34.

Ac neglegentia quidem oratoris in eo cernitur, quod contendit, milites apud Oenophyta occisos primos in noto illo sepulcro conditos

[1]) Aristot. Rhet. III 17 p. 158: καὶ ὃ ἔλεγε Γοργίας, ὅτι οὐχ ὑπολείπει αὐτὸν ὁ λόγος. cf. Blass I, 57. — [2]) Philostr. Vitt. Soph. p. 14: ἐνδιέτριψε δὲ τοῖς περὶ τῶν Μηδικῶν τροπαίων ἐπαίνοις. cf. Blass I, 56.

esse (242 C), quamquam constat, morem iam ante bella Persica usu receptum fuisse, cum sepulturam militum apud Marathona occisorum a consuetudine discessisse Thucydides [1]) tradat. Qui error in eo, qui epitaphium conscribit, tam mirus est, ut non multum absit, quin credere cogamur, istam esse inscientiam affectatam, quae spectet ad ea quae leguntur in Gorgia 459 B *ὁ οὐκ εἰδὼς τοῦ εἰδότος ἐν οὐκ εἰδόσι πιθανώτερος ἔσται.* C *πολλὴ ῥαστώνη μὴ μαθόντα τὰς ἄλλας τέχνας μηδὲν ἐλαττοῦσθαι.* In bello autem Peloponnesiaco exponendo, quod unum neque umquam iutermissum fuisse Thucydides demonstrare studet [2]), philosophus non inconsulte eos videtur secutus esse, qui duo bella statuebant [3]), remque ita instituisse, ut pax Niciae, quippe quae Atheniensium nomini laudi fuisset, finis belli videretur [4]). Porro duae quae traduntur expeditiones in Siciliam factae, quarum alteram Leontinorum gratia Lachete, Sophocle, Eurymedonte ducibus [5]), alteram duodecim annis post Segestanorum gratia Alcibiade auctore [6]) susceptam esse constat, ita confunduntur, ut posterior eademque maior expeditio Leontinorum gratia (243 A) videatur facta esse. At ne hic quidem neglegentiam philosophus inconsulte admisisse videtur. Nam cum constet, Atheniensibus, ut priorem expeditionem susciperent, Gorgiam Leontinum persuasisse, verisimile est, oratorem, qui Leontini se discipulum profitetur, de magistro significare, quippe cuius eloquentia tanta moles belli mota sit; certe hac in re Gorgiae discipulus aliquid excusationis habebit. Tum bellum Corinthium tanta incuria adumbratur, ut neque ordo neque ipsae res gestae clare perspici possint. Denique orator cum contendit, bella Persica nondum digne canta esse a poetis 239 C, oblitus esse videtur Pindari, Simonidis, Phrynichi, Aeschyli. Quod cum in Platone, docto poetarum aestimatore, satis mirum sit, necesse est aut hoc quoque loco inscientiam affectatam cerni aut simulatam iactantiam rhetoris significantis, se ipsum primum illas res decore expositurum esse, nisi quis credere malit, Socratem hoc loco exprimere vulgare iudicium Graecorum fabulis et carminibus epicis ad historiam pertinentibus non gaudentium, id quod ex exiguo talium poematum numero cernitur.

---

[1]) 2, 34, 5. — [2]) 5, 26, 2. 3. — [3]) Cf. Stahl, praef. ad Thucyd. p. XI. — [4]) Schleierm. 528. — [5]) Thuc. 3, 86 sq. 115. 4, 65. — [6]) Thuc. 6, 8 sqq.

Iam vero eos spectemus locos, in quibus orator a veritate ita deflexit resque ita detorsit, ut primo obtutu quid vellet, dubium esse non posset. Ac primum, quo maior videretur Atheniensium virtus, vires hostium mirum in modum auxit. Datim enim narrat cum quingentis milibus militum advenisse, quem nomerum duplo maiorem quam verum fuisse verisimile est [1]). Qua re simul efficit, ut fabulosa illa venatio a Dati instituta probabilior videatur. Simili superlatione utitur, cum contendit, ineunte bello Peloponnesiaco omnes Graecos impetum in Athenienses fecisse et Lacedaemonios ab his solis victos esse [2]), quamquam Thucydides non ita parvum sociorum indicem exhibet [3]). Contra vires Atheniensium ita attenuantur, ut fere semper soli hostibus videantur pares fuisse. Itaque silentio praeterit auxilium a Plataeensibus apud Marathona latum (240 C), quo loco fingit, Lacedaemonios auxilium ferentes postridie advenisse, quasi non *ὕστεροι* advenerint, ut dicit Herodotus (VI, 120), sed *ὑστεραῖοι*. Etiam apud Artemisium et Salamina contendit Athenienses solos pugnavisse, apud Plataeas demum una cum Lacedaemoniis [4]). Porro sicut bello Peloponnesiaco, ita bello Corinthio Athenienses ab omnibus destituti vim hostium dicuntur sustinuisse [5]). Quod vero attinet ad eventus bellorum, orator contendit, Athenienses nunquam ab hostibus victos esse; in Sicilia enim longinquitate itineris et facultate suis auxilio veniendi adempta eos afflictos esse [6]) et extremo bello Peloponnesiaco non nisi discordia civili exorta succubuisse semperque invictos mansisse [7]). Itaque expeditio in Aegyptum facta, cuius exitum miserrimum fuisse constat [8]), in numero victricium bellorum refertur [9]). Clades autem Siciliensis modo excusata compensatur militum laude effusa neque ullo testimonio confirmata [10]). Clades vero apud Tanagram accepta [11]) mutatur in proelium anceps, et quo vires Atheniensium minus fractae fuisse videantur, orator fingit, eosdem tertio iam post die pugnam apud Oenophyta commisisse [12]), quam sexaginta demum duobus diebus post factam esse Thucydides tradit [13]). Porro bellum §. 35.

[1]) Corn. Nep. Milt. 4. — [2]) 242 C *πάντων τῶν Ἑλλήνων ἐπιστρατευσάντων.* E *τούτους νικῶντες ἰδίᾳ.* — [3]) 2, 9. — [4]) 241 C. — [5]) 245 D *ὅμως δ' οὖν ἐμονώθημεν πάλιν — ἐλθόντες οὖν εἰς ταὐτά, ἐξ ὧν καὶ τὸ πρότερον κατεπολεμήθημεν.* — [6]) 243 A. — [7]) 243 D. — [8]) Thuc. I, 109 sq. — [9]) 241 E. [10]) 243 A. — [11]) Thuc. I, 108. — [12]) 242 B. — [13]) I, 108.

quod dicitur Archidamicum ita exponitur, quasi Athenienses suis tantum viribus prorsus semperque vicerint captisque Sphacteriae Lacedaemoniis, quod unum proelium commemoratur, debellaverint [1]. Miser autem eventus belli Corinthii ita describitur, quasi Athenienses sua sponte simul et gloriose id composuerint [2]. Etiam ea, quae iusto iure laudantur, interdum ita describuntur, ut lectorem offendant. De pugnis enim in Hellesponto commissis disserens orator, antithetorum captatione inductus absurde contendit, Athenienses omnes hostium naves uno die cepisse multasque etiam alias vicisse [3]. Porro laus pugnae apud Arginussas commissae insignis est novem participiorum cumulatione [4]. Simili participiorum ubertate simul et quadam magnificentia versatur in describenda civitatis cura [5], ne vivi ipsi laudibus careant.

Denique si, qua ratione orator mores, sensus Atheniensium imprimisque causas bellorum susceptorum exponat, spectamus, apparet haec omnia tam magnifice simul et tam sophistice descripta esse, ut generosius quidquam cogitari non possit. Ac mores quidem et sensus Atheniensium in autochthonia positos semper eosdem mansisse, ut orator demonstret, civitatis disciplinam semper aristocratiam fuisse contendit [6]. Ex eodem fonte derivatur odium barbarorum, quod dicit semper idem fuisse etiam eo tempore, quo pecunia a rege per Cononem data muros restituebant et cum rege paciscebantur omninoque ex eo pendebant [7]. Itaque orator non veretur fingere, Athenienses tentationi regis restitisse neque pacis quae dicitur Antalcideae consortes fuisse [8]. Omnem enim operam, quam huic loco aliter explicando Schoenborn et Krueger navaverunt, perditam esse satis demonstravit Tuellmann [9]. Illud autem mendaciunculum, quod quidem gravius esse ceteris dictis dolose captatis vix contendi potest, orator scite eo occultavit, quod bellum Corinthium ordine non satis perspicuo exponit et sententia generali intermixta lectorem in dubitationem adducit, num iam 245 C de fine belli agatur. Ceterum omnis expositio belli Corinthii, quod a Persis excitatum esse notum est, sophisticam sapit artem. Porro ex eadem autochthonia derivatur moderatio et clementia, qua Athenienses

---

[1] 242 C sqq. — [2] 245 E. — [3] 243 A. — [4] 243 C. — [5] 249 A sqq. — [6] 238 C. — [7] 245 C. D. — [8] 245 C. — [9] p. 68—71.

usos esse erga tyrannos Eleusine versantes contendit[1]), quamquam constat, eos in colloquium allectos et repente trucidatos esse[2]). Deinceps quod Athenienses Lacedaemoniis Sphacteriae captis obsidibus usi sunt, orator eximie laudat rationem cognatae nationi habitam et generositatem, qua illis pepercerint[3]). Nec minus generosos se praestitisse feruntur erga regem, cui iniurias condonaverint, cum nusquam nisi in Atheniensibus salus eius posita esset[4]), quamquam res Atheniensium accisas agendi causam praebuisse constat. Eadem generositate simul et misericordia orator dicit eos usos esse erga Boeotos, Argivos, Corinthios, quibus opitulari a se impetravissent[5]); neque unquam Athenienses suae potestatis causa bellum contra Graecos suscepisse, immo invitos[6]) et aliorum causa; eos enim omnia bella, quae cum Graecis gessissent, sociorum liberandorum causa suscepisse. Cf. 239 B. 242 B *ὑπὲρ τῆς Βοιωτῶν ἐλευθερίας.* 243 A *ὑπὲρ τῆς Λεοντίνων ἐλευθερίας — διὰ τοὺς ὅρκους.* 244 C *ἐλευθερίας ἐπικούροις.* 245 A *ἀπελύσατο δουλείας.* B *ὑπὲρ Παρίων*[7]). Itaque non mirandum est, etiam regem ab eis liberatum esse, cf. 246 A *οἱ βασιλέα ἐλευθερώσαντες.*

---

1) 244 A. — 2) Xen. Hell. 2, 4, 43. — 3) 242 C sq. — 4) 244 B. D. — 5) 244 C. E. — 6) 242 A *ἄκουσα.* 245 B *ἠναγκάσθη πολεμεῖν.* — 7) Quem quidem locum sanum esse interpretes suo iure negant. Nam nihil usquam de expeditione Pariorum causa suscepta memoriae proditum est neque ulla causa reperiri potest, cur orator hoc loco tale bellum fingere statuerit. Itaque viri docti variis modis locum emendare studuerunt; Dahlmannus enim de Pherarum direptione cogitavit a Conone et Pharnabazo facta, cf. Xen. Hell. 4, 8, 7. Schoenborn autem coniecit *ὑπὲρ πάντων*, Hermann *ὑπὲρ Ἀργείων*, Krueger *ὑπὲρ Ῥοδίων*, cf. Xen. Hell. 4, 8, 20 sqq., denique Stallbaum *ὑπὲρ Κορινθίων.* At si sententiarum cohaerentiam loci qui est 244 B—245 B spectamus, ei, quibus opitulantes Athenienses bello Corinthio interfuerunt, iam satis significati sunt, Argivi, Boeoti, Corinthii; itaque exspectamus non tam novorum quorundam amicorum commemorationem quam significationem, qua illi, quibuscum Athenienses facere a se impetraverunt, denuo in memoriam revocentur et ita comprehendantur, ut Lacedaemoniis, libertatis et democratiae oppugnatoribus, opponi possint. Amicitiae igitur et societatis notionem vocula *Παρίων* occultari necesse est. Itaque, cum vocula *πάντων*, quam Schoenborn substituit, nimis incerta et vaga videatur, equidem censeo levissima litterarum commutatione scribendum esse *ἑταίρων;* nam maiusculis adhibitis litterae *ΕΤ* facillime neglegentia librarii mutari poterant in *Π*, quo facto litterae *ι* et *ρ* locum inter se mutaverunt. Qui error eo facilius admitti potuit, quia librarius, qui antea tribus locis legerat bella ab Atheniensibus aliorum causa suscepta

Contra Lacedaemonii accusantur proditionis, 242 B *καταλιπόντες, οἷς ἐβοήθουν.* 243 B *τῷ ἐχθίστῳ ἐπικηρυκεύσασθαι βασιλεῖ,* et nimiae dominandi cupiditatis, 244 C.

§. 36. Istam vero eandem esse laudandi rationem, quam in parte dialogica descriptam esse vidimus, facile intellegi potest. Ornata enim est oratio omnibus artificiis oratoriis (*κάλλιστά πως τοῖς ὀνόμασι ποικίλλοντες*), afferuntur *καὶ τὰ προσόντα καὶ τὰ μή,* laudantur omnes, *οἱ τετελευτηκότες καὶ οἱ πρόγονοι ἅπαντες καὶ αὐτοὶ οἱ ζῶντες.* Nec minus loci supra comparationis causa allati (§. 7), in quibus contionandi ratio Gorgiea recensetur, in hanc orationem quadrant. Huc enim pertinet sententia de Agathonis oratiuncula lata; operam enim dedit orator, *ὅπως ἐγκωμιάζειν δόξει, οὐχ ὅπως ἐγκωμιάσεται* (Symp. 198 E. Cf. Menex. 235 D *οὐδὲν μέγα δοκεῖν εὖ λέγειν*); ista eadem est assentandi et blandiendi ratio, quae in Gorgia appellatur *ἐμπειρία ἀπεργασίας χάριτός τινος καὶ ἡδονῆς* etc. Hic habemus *πρὸ τῶν ἀληθῶν τὰ εἰκότα,* hic et parva magna esse videntur et magna rursus parva vi et gravitate orationis; omnia enim cum aliqua probabilitate proferuntur. Itaque necesse est, audientes *γενναίως πάνυ διατίθεσθαι* et *σεμνοτέρους γίγνεσθαι* (235 A s.). Apparet autem, quae in hac orationis parte rerum veritati repugnantia inveniuntur, ea non neglegentiae tribuenda esse, sed consilio philosophi vanas laudationes, quibus Gorgias eiusque discipuli gloriam quaerebant, callida imitatione illudentis.

§. 37. Restat, ut de altera orationis parte sententiam feramus, qua

esse (239 B. 242 B. 243 A.), etiam hoc loco nomen populi alicuius sibi videbatur cognoscere, cuius gratia Athenienses bellum suscepissent. Vocula autem *ἑταῖροι* i. e. factionis consortes aut commilitones eo melius socii Atheniensium significari potuerunt, quod bellum Corinthium non tam a civitatibus quam a factionibus democraticis Lacedaemoniorum dominationi adversantibus motum esse constat, quibuscum Athenienses Thrasybulo auctore consilia communicaverant et unam quasi factionem effecerant; itaque illud bellum Corinthi quidem cum motu civili coniunctum erat; optimates enim Corinthiorum a sociis eiecti Lacedaemonios intra muros ad Lechaeum portum pertinentes duxerunt, illi autem castellum expugnaverunt et cum Atheniensibus, Corinthiis, Argivis, Boeotis pugnam commiserunt. Cf. Xen. Hell. 4, 2. 4. Itaque scriptor optime vocula *ἑταῖροι* uti potuit, notionem factionis cum poetica commilitii notione coniungens.

oratoriam Platonis gloriam contineri constat. Laudatur enim a Dionysio, acerrimo philosophi exagitatore [1]), et aliis. Nec dubitari potest, quin sermocinatio quae adhibetur non indigne Platone composita simul et scite cum oratoris adhortatione coniuncta sit. Tamen hanc quoque partem artis rhetoricae praestigiis satis ornatam esse vidimus. Sententiarum autem copiam non ita magnam esse facile intellegi potest, quamquam insunt, quae Platone digna habenda sint. Atque adhortationis quidem ad filios conversae hae fere sunt sententiae:

1) Et posterorum et maiorum causa honestam mortem anteponimus turpi vitae; is enim vivere non debet, qui suis ignominiae est;

2) *χρὴ οὖν* —] itaque in omnibus rebus virtutem spectare debetis, qua remota omnia vilia sunt;

3) *ὧν ἕνεκα καὶ πρῶτον*] propterea vos dare operam oportet, ut nos superetis; vestra enim victoria nobis turpitudini erit, nostra autem clades beatitudini;

4) *μάλιστα δ' ἂν*] decet autem maiorum gloriam non consumere, sed propriam posteris relinquere (quae sententia repetitur a) *μὴ καταχρησόμενοι μηδ' ἀναλώσοντες*, b) *χρῆσθαι καὶ μὴ παραδιδόναι*).

Variatur igitur una eademque sententia: et maiorum et posterorum causa nemo non virtute gloriam sibi parare debet.

Iam vero consolationis patrum et matrum hae fere sunt sententiae:

1) Parentes consolatione, ut quam levissime ferant calamitatem, adducendi sunt et admonendi, se maximi voti compotes esse, filiorum bonorum et clarorum;

2) *καὶ φέροντες μέν*] Ac tolerantes fortiter fortunam adversam fortium filiorum patres esse videbuntur; alioqui suspicionem commovebunt, se non esse parentes nostros aut laudatores nostros mentiri (prior sententia repetitur);

3) *πάλαι γὰρ δή*] proverbium enim „ne quid nimis" bene dictum est, nam cuius beatitudo in ipso posita est, non in aliis, is neque nimis gaudebit filiis natis neque amissis nimis dolebit. Tales nos quoque nos praebemus, nec dolentes nec timentes nimium, quod in praesentia nobis moriendum est;

---

[1]) l. c. c. 30. p. 1044.

4) *δεόμεθα δὴ καί*] itaque oramus parentes, ut eiusdem mentis sint et sciant se nobis gratum facturos esse non lugentes (sententia bis repetitur et negative et affirmative); nostra enim vita exitum habebit non tam luctu quam honore dignum et cura uxorum liberorumque nostrorum eos in oblivionem calamitatis adducet. Denique paucis civitati parentum et liberorum suorum curam commendant.

Repetitur igitur quater vel variatur eadem sententia: 247 C *ὡς ῥᾷστα φέρειν τὴν ξυμφοράν.* D *καὶ φέροντες μὲν ἀνδρείως.* 248 A *οὔτε γὰρ χαίρων οὔτε λυπούμενος ἄγαν φανήσεται.* C *κούφως δὲ καὶ μετρίως* (*φέροντες*).

Orator autem ipse adhortatione breviter expedita (248 E *δέομαι τῶν μὲν μιμεῖσθαι τοὺς αὑτῶν*) consolationem peragit describenda accuratius civitatis cura, quae conversa est 1) in parentes, 2) in liberos (*τοὺς δὲ παῖδας συνεκτρέφει*), 3) in ipsos milites occisos (*αὐτοὺς δὲ τοὺς τελευτήσαντας*). Quae sententiae inverso ordine recapitulantur: *καὶ ἀτεχνῶς τῶν μὲν τελευτησάντων —, τῶν δὲ υἱέων —, γονέων δέ κτλ.* Sequitur sententia ex extrema parte consolationis militum occisorum repetita (*πρᾳότερον φέρειν τὴν ξυμφοράν κτλ.* cf. 248 C.).

Quodsi sententias, quae altera parte continentur, perlustramus, negari non potest, multis quamvis decoris verbis pauca dicta esse neque usquam nisi duobus locis 246 E *πᾶσα ἐπιστήμη κτλ.* 247 E *ὅτῳ γὰρ ἀνδρί κτλ.* (cf. Rep. III, 387 D) sententias occurrere, quae ad rationem Platonicam pertineant. At ne haec quidem talia sunt, quae vel a Gorgiis dici non potuerint.

§. 38. Quae cum ita sint, satis apparet declamationem demonstrativam (*ἐπίδειξιν*) a Socrate pronuntiari ad similitudinem disciplinae Gorgieae compositam. Cui opinioni bene opitulatur Dionysius, qui quamquam consilium philosophi non perspexit, tamen veri aliquid dixit orationem Platonicam comparans *εἰδώλοις, σώμασι σκιὰς καὶ ῥαστώνας διώκουσιν, ἀνθηρῷ χωρίῳ καταγωγὰς ἡδείας ἔχοντι καὶ τέρψεις ἐφημέρους*[1]). Quae comparatio optime quadrat non solum in eam quam philosophus ipse exhibet laudationum descriptionem, sed etiam in scholae Gorgieae indolem. Itaque cum appareat, ora-

[1]) l. c. c. 32, p. 1056.

tionem cum illa descriptione congruere neque minus vestigia disciplinae Gorgieae plurima et manifestissima in ea cerni, contendere non dubitamus, orationem esse specimen ironiae mimicae. Hoc autem Plato edidit, non quo certam Gorgiae orationem imitaretur, sed ut rationem eius et disciplinam exemplo illustraret. Cuius vitia cernuntur cum in artificiorum adhibitorum copia et in ea, quam in dispositione vidimus, vulgaris cuiusdam perspicuitatis consectatione et in laudatione adulatoria et sophistica, tum in ea ratione, quae intercedit inter ornamentorum ubertatem et sententiarum tenuitatem. Qua in re philosophus versatus est tanta cum sollertia et ingenii dexteritate, ut primo obtutu oratio videatur esse exemplar omnibus numeris oratoriis absolutum. Neque vero miramur, Platonem pro ingenio suo etiam, cum imitari et ludere vellet, conscripsisse, quod in suo genere perfectum esset. Agathonis quoque oratiuncula, quamvis manifestiorem etiam imitationem prae se ferat, in suo genere quasi absoluta est. Tamen Hermogeni non assentimur, qui panegyricorum pulcherrimum esse censet Platonicum; immo cum Dionysio facimus, qui quamquam consilium philosophi non perspexit ideoque saepius nimius est in vituperando, tamen de universa oratione sanum fecit iudicium. Qua ab sententia ne Cicero quidem nos revocare potest, narrans, orationem Platonicam sic probatam fuisse, ut eam quotannis recitari necesse esset [1]). Nam quod Athenienses illis temporibus libenter eam audiebant, non ita mirum videtur: fruebantur enim magnificentiae praeteritae umbra et imagine decoris verbis expressa neque curabant, quantopere orator a veritate deflexisset; ceterum in Atheniensibus omni tempore valuit illud dictum, quod ex hac ipsa oratione Aristoteles laudavit: *οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν.* Accedit, quod nomen Platonis philosophi celebratissimi orationi aliquid splendoris et famae impertiebat, idque eo facilius fieri poterat, quod certa verae indolis memoria deerat; immo admiratores philosophi gaudebant eum etiam in arte oratoria eminuisse. Praeterea non omittendum est, schemata Gorgiea vim in auditoribus habuisse maximam [2])

---

[1]) Orator. c. 44. §. 151. — [2]) Isocr. Panathen. 2: *οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν.*

Isocratis et Aristotelis[1]) temporibus. Quibus quamquam non idem honos a viris doctis tributus est, tamen fieri potuit, ut apud populum per longum tempus multum valerent.

Ceterum negari non potest, imitationem non aeque insignem aut immoderatam esse atque in Agathonis oratione, cuius in extrema parte ratio Gorgiea in ridiculum detorquetur. Imprimis enim antitheta brevia et expressa eademque cum parisis coniuncta in Menexeno non ita frequenter inveniuntur; immo saepius eo, quod alterutri membro antithetorum contraria secundaria adiunguntur, vis oppositionis quodammodo obtusa et emollita est. Hac autem moderatione Plato videtur usus esse, quia in Menexeno longe alio in argumento versabatur atque in symposio; itaque pro lugubri et gravi orationis materia illorum artificiorum usum a lascivitate revocavit ad certos fines. Praeterea negari non potest, coniunctionem partium meliorem esse quam in Agathonis oratione magisque ex sententiarum cohaerentia repetitam. Denique imitationi non ita studuit philosophus, ut non interdum nativae dicendi rationi indulgeret, id quod e libera enuntiatorum compositione elucet.

§. 39. Quoniam quantum potuimus singulas Menexeni partes explanavimus, summam dialogi paucis circumscribere liceat. Est autem haec: Plato postquam in Gorgia cum Leontino eiusque assectatoribus notionem sive ideam rhetoricae blandae explicavit, in Menexeno sophistae disciplinam ac dicendi rationem adumbrat, quam in illo dialogo non nisi aliquot imitamentis insertis tetigerat. Quam rem iocose ita instituit, ut Socratem inducat simulantem, se Aspasiae disciplina usum ab eaque blandae illius atque venustae eloquentiae artificia edoctum esse. Ita praeparatus Menexeno adhuc philosophia imbuto declamationem ad verbum sibi inculcatam recitat, quam fingit a magistra e locis antea usurpatis sive communibus et partibus extemporalibus conglutinatam esse. Summa igitur operis est *ἐπίδειξις*, qualem in initio Gorgiae dialogi a sophista habitam esse scriptor fingit. Hanc autem Menexenus sicut discipulus rhetoricus eadem admiratione et reverentia prosequitur, qua in Gorgia Callicles declamationem acceperat. Sicut autem in parte dialogica Gorgiae disciplina adum-

[1]) Rhet. III, 1, p. 122: *ποιητικὴ πρώτη ἐγένετο λέξις, οἷον ἡ Γοργίου· καὶ νῦν ἔτι οἱ πολλοὶ τῶν ἀπαιδεύτων τοὺς τοιούτους οἴονται διαλέγεσθαι κάλλιστα.*

bratur, ita in oratione eius vestigia facile cerni possunt. Epitaphius enim non solum cum descriptione rhetoricae blandae a Socrate exhibita omnino congruit, sed etiam in singulis verbis et sententiis insignis est artis Gorgieae imitatione. Quae cernitur cum in artificiis oratoriis large adhibitis, tum in ea ratione, quae intercedit inter ornamentorum ubertatem et inter sententiarum aut vilitatem aut tenuitatem. Itaque contendere non dubitamus, orationem specimen esse ironiae mimicae; Socrates enim simulans, se in partes adversarii transisse, efficit, ut sophistae effigies in dialogo cernatur sicut in speculo. Quodsi respicimus manifestam quam multis locis invenimus Menexeni cum Gorgia dialogo affinitatem, non videtur dubium esse, quin oratio funebris quae in Menexeno est nobis effigiem quandam praebeat iocosa ac lepida imitatione expressam eiusdem artis oratoriae, de cuius vera indole in illo disputatum est. Et si re vera Gorgias, ut Athenaeus (XI 505 D) tradit, illo dialogo perlecto dixit, Platonem bene didicisse iambos facere, idem in Menexenum valet; nam etiam hic sunt iambi.